AD R.P. CAROLUM NOCETIUM EPISTOLAE OCTO: DE SINGULARIBUS ARGUMENTIS IN...



AD R. P.
CAROLUM NOCETIUM
EPISTOLÆ OCTO
DE SINGULARIBUS ARGUMENTIS

In ejusdem Libro inscripto VERITAS VINDICATA *contentis.*

ACCEDUNT


Opiniones laxæ quamplurimæ ex variis Casuistis collectæ : item Censura R. P. EUSEBII AMORT Canonici Lateranensis in Theologiam Moralem R. P. C. L. C.

Item

EPISTOLA NONA

Ad eumdem P. CAROLUM NOCETIUM de nonnullis ejusdem antithetis in Epistolam secundam P. M. DINELLII.





VENETIIS MDCCLV.

APUD SIMONEM OCCHI
SUPERIORUM FACULTATE.



EPISTOLA PRIMA.

AD

P. CAROLUM NOCETIUM

SOC. JESU.

ARGUMENTUM.

Mordax scribendi genus (Theologiæ P. Concinæ) acres declamationes, incitatissimi impetus, turpissima convicia, & notæ in omnium oculos statim incurrunt. Exquisitum artificium quo Jesuitæ nominatim, ac proprie in odium adducuntur, & apud accedentes ad Pœnitentiæ Tribunal in suspicionem vocantur, nemo non videt. P. Carolus Nocetius in Præf. pag. 3. & 4. ad Librum inscriptum. *Veritas Vindicata.*

I. PRomptius, quam par erat, mi Noceti, primæ Magistri Dinellii Epistolæ responsum dedisti. Quo hæc pertinet, amabo te, tanta respondendi celeritas? Ut ab instituto examine eorum, quæ adversus *Theologiam Christianam* tumet opposuisti, Dinellium abducas? Non ergo plenam, absolutamque oppositionum tuarum solutionem aves, sed tricari, jurgari, & susdeque omnia miscere, ne veritas in omnium oculis refulgeat? At mirum in modum falleris, & tua, tuorumque commilitonum consilia in fumum occidunt. Ut tranquille Dinellius suum persequi examen, & integram libri tui confutationem queat, alio te ego convenire epistolarum genere statui. Neque a me refelli epistolam tuam expectes. Id enim præstabit Dinellius. Quamquam adeo imbecilla & vacua rationum est, ut seipsa, nemine impellente,

corruat. Alia sunt in libro tuo argumenta, ab iis, quibus detruncatas, & adulteratas Casuistarum Societatis opiniones contendis, diversa, quæ, ut illustrentur, fas est. Horum primum, quod initio proposui, rationem scribendi, qua usus Concina est, spectat. Hanc tu *mordacem*, *declamatoriam*, *turpissimis conviciis*, & *notis* resperſam incusas. At Concina sæpius tuos commilitones, suosque adversarios omnes provocavit; & temetipsum nunc ego provoco, urgeoque, ut vel unicum convicium, scomma, contumeliamve ex omnibus ejusdem operibus excerptam, quam in personas, seu auctores ille contorserit, designes, evulgesque in publicum. Si id tu præstiteris, palinodiam canere paratus ipse est. Utique Concina, opportunitate data, vocem exaltavit, declamavit, derisit errores, & opiniones, quas æternæ Animarum saluti perniciosas reputavit. At summo obsequio Auctores suspexit, illosque pia intentione, rectoque animo tales opiniones evulgasse non semel, sed centies testatus est; adeo ut Concinam plerique redarguerint, quod tam frequenter Casuistarum piam intentionem laudaret. Verum Concina reponebat, se scire quibuscum dimicaret. Tu, mi Noceti, aliique tecum *in eo scripto, ad quod illa declaratio exacta est*, ut inquis in tua præfatione pag. 5. plures exclamationes, & acres detestationes ex variis Theologiæ Christianæ tomis decerpsistis, sed alto silentio occultatæ opinationes fuere, in quas illæ directæ sunt. Hæc ne accusationis ratio ad Justitiæ, vel Caritatis, aut honestatis normam exacta est? exaggeratur censura, erroris gravitate occultata, ut injustitiæ argui pro ingenio censor queat? Et ne quis suspicetur, hæc a me gratis fingi, in medium adducam & illa quæ vos vocatis scommata, & convicia, & propositiones cate absconditas, in quas eadem contorta sunt.

Tu mi Noceti ex decem Christianæ Theologiæ tomis censuras latas contra opiniones Casuistarum collectas exhibes pag. 233. grandioribus characteribus inquiens: P. Concina eas appellat *laxas laxissimas*, *laxitatis plenas*, *horrendas*, *piis auribus horrorem incutientes*, *scandali plenissimas*, *portentosas*, *de sentina Probabilitatis effluentes*, *erronea commenta*, *monstra*, *paradoxa inaudita*.

II. Hæc ex decem Tomis collegisti, quæ objiceres. Nihil hic adversus Auctores, quos bona intentione, pioque animo succurrendi humanæ imbecillitati hæc commenta invexisse millies Concina testatur. Videndum nunc superest, num reipsa opiniones, quas Concina ut laxas, & absurdas rejecit, tales sint. Tu censuras exaggerasti, & opiniones, ut dixi, & dicendum sæpius est, absconditas reliquisti. Paucas ex centenis lectorum oculis subjicio.

1. „ Filii exoptare possunt absque gravi culpa mortem Parentibus, ut „ quamprimum in hereditatem succedant, vel ut liberentur a dura illorum „ cu-

„ custodia. Et hæc sententia, *quia favorabilior est pœnitentibus*, illa in casu occurrenti, ne in peccatum ex fragilitate irruant, est eis CONSULENDA.

2. „ Qui ex habitu blasphemat absque plena, & sufficienti advertentia „ ad peccatum mortale, tunc non committit novum peccatum mortale.

3. „ Qui inadvertenter blasphemat, quique ita dispositus est ut etiam si „ adverteret, blasphemaret, PROBABILIUS EST nec hunc peccare „ mortaliter actu in proposito casu.

4. „ Posses occidere furem unius aurei, vel pomi, si tibi verteretur „ probro, nisi rem furi extorqueas.

5. „ Licitum est occidere OCCULTE litigatorem, si constet aperte, & „ omnino certo dictum litigatorem omnino injuste, & per calumniam „ procedere, & etiam si sit omnino certum, quod innocens sua bona ir„ recuperabiliter amissurus est, nec aliud sibi remedium ad ea recuperan„ da suppetat.

6. „ An post Innocen. XI. licitum sit occidere eum, qui dixit *mentiris*, „ aut contumeliam profert perfecte, ut: *Tu es infamis*, malægentis &c. „ vel imperfecte; ut: *tu es infam* . . . *mal* . . *gen* . . . Si aliter injuria „ repelli non potest? *Probabilius* respondeo affirmative.

7. „ Possunt famuli tuta conscientia meretricis, aut pellicis mensæ mi„ nistrare cibos non solum communes, sed etiam calidos, & provocantes „ ad venerem condire.

8. „ Possunt lectum domino, & amasiæ citra culpam venialem sterne„ re. Non esset peccatum mortale, domino, & pellici, alias rem habi„ turis, aut lectum procurare hospitio, aut parare meliorem solito, aut „ floribus fulcire. Ratio est: quia aliud est fornicari, aliud majorem in „ ipsa fornicatione habere delectationem in genere luxuriæ.

9. „ Quod Histriones ex cohabitatione cum mulieribus sint *fere semper* „ *in occasione concubinatus, & adulteriorum, fornicationumve*, cum mulieres „ istæ semper fere sint malæ, & inordinatæ vitæ, nihil obstat, quominus „ possint absolvi, si dum ad Confessionem sacramentalem accedunt, ha„ beant illa quatuor quæ supradicta sunt.

10. „ An sit casus, in quo communicari quis sine Confessione, & etiam „ sine contritione, atque adeo in peccato mortali possit? Tam benigna „ sunt viscera misericordiæ Domini, ut non dedignetur excusare aliquan„ do pervicaciam nostram. Invenio enim unum, & alterum casum, in „ quo quis purissimam communionem in peccato sumere sine peccato „ possit.

11. „ Cum Magister veritatis sis, adeo humanæ condescendis inscitiæ, „ ut in *tuo* Veritatis *Tribunali ERROR* inculpatus ipsam *coæquet veritatem*

„ Eum

„ Eum enim non accusas, sed excusas: non plectis, sed *praemiatis*: ipsam „ tuam legem habendo pro non-lege: & tuam non-legem habendo pro „ lege; si lex ut non-lex, & non-lex ut lex invincibiliter proponatur.

12. „ Nullum absurdum est quod Christus Dominus dicat, *Veni Benedi-* „ *cte* accipere Regnum, *quia mentitus* es invincibiliter, putans me in tali „ casu praecepisse mendacium."

III. Duodecim tantum ex sexcentis, quae in Theologia Christiana recensentur, huc transcripsi opiniones, quas Concina appellat *laxas*, *paradoxa inaudita*, *quae horrorem*, *& scandalum ingerunt*, *portenta laxitatis in universa Philosophia Paganorum non reperienda*. An forsitan in Platone, in Ethica Aristotelis, in Marco Tullio, in Plutarcho, in Seneca similia commenta occurrunt? Aut vos, ut probabiles, & tutas conscientiae regulas, praefatas opiniones propugnatis: aut eas ut falsas, & animarum saluti infestas, perniciosasque rejicitis? Si primum, laxitatis patronos vosmetipsos perhibetis. Si secundum, cur Concinam accusatis, cur eum criminamini, ut impostorem, & calumniatorem, quod errores, qui Evangelicae legi hostiliter adversantur, qui horrorem piis auribus ingerunt, scandalumque pariunt gravissimum, oppugnet, derideat, insectetur? Typis quippe publicis editi errores sunt. Auctores, quos vos Doctores gravissimos appellatis, has propositionos docent, ceu principia, unde absurda alia proficiscuntur immaniora. Magnam eisdem conciliant auctoritatem, & positis Probabilismi principiis, probabiles evadunt. Quamobrem Sacramentorum administri ejusmodi libros legentes; Christianorum animas his doctrinis dirigunt, curant, & in desideriis suis fide bona confirmant.

IV. Quaeso te, mi Noceti, missis, ut tu dicis, declamationibus Concinianis, & sarcasmis, blande, & amice parumper invicem colloquamur. Vos Concinam accusatis, quod recensitas, & sexcentas similes opiniones acri stylo, & vehementi oratione figuris, salibusque respersa execretur, & deridendas, exsibilandasque propinet? At rursus vos ego urgeo. Aut vos *Probabilistae* praefatas opiniones amore prosequimini, ut probabiles, aut illas, ut falsas rejicitis. Si primum, cur earumdem patrocinium respuitis? Si secundum, injuria summa redarguitis Concinam, quod easdem insectetur. Quid hiscis? Ais, opiniones oppugnet Concina si velit, sed stylo blando, & miti oratione. At reponit ille. Lenis, & blanda disputatio, non plus animos benignitatis hodiernae illiciis praeventos movet, quam tenuis aurae spiritus movere montes queat. Natura ad blanda, & dulcia propensa, communis consuetudo, sectatorum amplissimae turbae, benignae Theologiae auctoritas apud vulgus summo in pretio habita, & plura alia, quae silere expedit, impetu vehementi ad laxam vivendi formam impellunt. Excutiendus propterea est acri stylo harum mentium sopor,

&

& vehementi oratione, atque acutis figuris perstringendæ obtusæ aures sunt.

V. Ita ne vero? Quid, opponis tu, præscripsit Innocentius XI. in suo Decreto, damnatis thesibus præfixo? En illius verba: *Caveant ab omni censura, & nota, nec non a quibusvis conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur*. Reponit P. Concina, Pontificem haud loqui de opinionibus erroneis, quas excogitare in dies hic, aut ille Casuista potest, alioquin quisque impune evulgare hæreses absque oppositore posset; sed de iis sententiis, quæ defenduntur inter Catholicos, seu inter dissidentes Scholas, ut essent exempli causa, Decreta prædeterminantia, Scientia media, Decreta concomitantia, & his similia. At ego, insistis, in meo libro *Veritas vindicata* hanc interpretationem pag. 234. his verbis labefactavi. *Primum si quis JESUITA uteretur hac interpretatione, clamaret statim P. Concina eludi distinctiunculis Decreta Pontificia*.

VI. Est scilicet, mi Noceti, est JESUITA, & quidem præstantissimus, qui hac utitur interpretatione, eamque omnibus adhibendam præbet. Is est P. Ignatius de Camargo, qui hæc tibi, ut serio perpendas, exhibet. „ Hoc nimirum præceptum benigni Recentiores suscepisse quam libentis„ sime, ac liberalissime videntur. Nam cum reliqua *fere omnia tamquam* „ *onerosa, ac odiosa, restringenda esse pronuntient*, sive, ut iidem ajunt, be„ nigne interpretanda; hoc tamen Pontificium Decretum *adeo severe*, „ *& rigide* intelligendum censent, ut nemini liceat post illud opinionem „ *cujusvis Viri Catholici* vel falsam simpliciter dicere: quin vix prodeat „ in lucem liber ullus *contra moralem laxam doctrinam*, quem non statim „ deferant ad Fidei Tribunalia tamquam reum violati Decreti Pontifi„ cii. Quo tendat rigor iste benignitatis, difficile non est divinare.... „ Itaque cum constet, Decreta Pontificia, de quibus hic agitur, ad hunc „ finem potissimum dirigi, *ut doctrinæ morales Christianis moribus pernicio*„ *sæ eliminentur*, & ab eorum praxi oves Christi deterreantur, nemo sibi „ persuadeat in ea peccare, *& non pro iis potius pugnare* Theologos, qui „ *totis viribus connituntur* ad ea radicitus convellenda, ex quibus veluti „ principiis doctrinas ejusmodi *suum traxisse virus* arbitrantur.... Insu„ per nemo jure reprehendet eum, qui disputans in sententiam benignam „ deduxerit ex ea sequelas plurimas, quas affirmet, aut probet esse longe „ horrendissimas, vel hæreticas etiam, aut blasphemas &c. “ (a)

VII.

(a) In præf. ad Reg. Mor. pag. 28.

VII. Hic Sapientissimus Jesuita altius loquitur, & secretiores subit recessus, quam Concina ipse. Verum habet, inquis, sed Jesuita iste fuit acerrimus Antiprobabilista. Tyrso Gonzalez suo Præposito Generali adhærens, & Societati infensus, saltem non obsequens ejusdem filius. Jure propterea illius testimonium rejicio. Dabo itaque alium Jesuitam omni exceptione majorem, benignissimum nempe Probabilistam. Is est P. Dominicus Viva. Paucis rem perstringo. Summus Pontifex Alexander VII. peculiare Decretum edidit, quo cavetur, ne quisquam censura notare audeat alterutram opinionem de attritione servili his verbis. *Sanctitas sua hoc præsenti Decreto in Virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ* (hanc pœnam non infligit Innoc. Decretum) *huic Sanctæ Sedi reservatæ, aliisque pœnis ejusdem Sanctæ Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis &c. ut si deinceps &c. non audeant, alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alteram sententiam sive negantem, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem &c.* Qua interpretatione exponit hoc Decretum Pontificium unice in hunc finem editum P. Dominicus Viva? En illius verba. *Probibitio autem illa Alexandri VII. ne alterutra ex iis opinionibus censuretur, non infert utramque opinionem esse probabilem, cum hujusmodi prohibitiones SÆPE fiant in bonum pacis, & ad vitandas discordias, NON IN GRATIAM VERITATIS.* (a)

VIII. Audistin' mi Noceti? Pax, & Concordia sine Veritate splendent? Decreta Romanæ Sedis *non in gratiam veritatis* prodeunt? Qui hoc docet, non est neque Antiprobabilista, neque Jansenista, sed est P. Dominicus Viva benignus Probabilista. Ego contra, & Concina mecum, intrepide propugno, omnia Romanæ Sedis Decreta *in gratiam veritatis* emanare, & oppositum rejicio ut errorem Sanctæ Sedi injuriosum. Nulla pax vera, nulla Christiana concordia sine veritate. Exempla plurima in hac materia, & vetera, & nova, quæ sileo, tibi minime ignota sunt. Hæc P. Vivæ interpretandi Pontificia Decreta ratio, tibi ne, P. Noceti, arridet?

IX. Insistis ibidem rursus, & clamas, interpretationem Concinæ, Camargo, aliorumque Theologorum, atque Episcoporum *nullo niti fundamento. Decretum non dicit : Propositiones, quæ adhuc inter Scholas Catholicas hinc inde controvertuntur, sed quæ adhuc inter Catholicos. Quæ ratio est coercendi decretum, & explicandi de solis propositionibus, quæ inter Scholas Catholicas disputantur?*

Quæ

(a) In Thes. 15. Dam. ab Alex. VII. n. 31.

Quæ ratio coercendi Decretum ad Scholas Catholicas? Maxima, gravissima, validissima. Quænam hæc? Decus Romanæ Sedis, honor, & fama Catholicorum. Te Judicem, mi Noceti, appello. Audes ne asserere, *duodecim theses*, quas modo rescripsi, libere disputari inter Catholicos in utramque partem? Audes ne propugnare doctrinam illarum thesium (idem dicito plus minusve de sexcentis aliis) esse inter Catholicos probabilem, & libere hinc inde eamdem oppugnari, & defendi? Alterutrum ergo. Aut confirmare ore tuo interpretationem Concinæ; aut infamare adstringeris Romanam Sedem, & Catholicos omnes, asserendo doctrinam dictarum, aliarumve similium Thesium, esse penes Catholicos indifferentem, quam quisque amplecti, & propugnare pro suo arbitrio valeat. Reponis, dictas theses non esse damnatas. Oppositio hæc tuam non decet eruditionem. Ecclesia Christi area est, quæ triticum, & paleam, frumentum & zizania continet, usque ad ultimum ventilabrum. At non propterea zizania errorum, aut paleas falsarum opinionum approbat. Tolerat illa plures, juxta Christi oraculum, errores. *Sinite utraque crescere usque ad messem* (a). Quid quod ipse Summus Pontifex in illo ipso Decreto, quod opponis, inquit: *Non intendens tamen Sanctitas sua per hoc Decretum alias propositiones non expressas . . . approbare*? In aurem dicas velim, num eo tendant vota vestra, ut, nemine reclamante, propugnare quascumque opiniones valeatis?

X. Verum quia argumentum istud dignum est, ut pleno in lumine constituatur, cedo mi Noceti. Cur vos adeo affligit, & altius vulnerat, quod Concina declamet, exaltet vocem, & incitato impetu irruat in opiniones quas refellit? Qui veritatem a se stare certo credunt, gaudent, lætantur, & veluti triumphabundi discurrunt, dum audiunt eamdem veritatem grandi voce efferri, extolli, propugnari. Jubilant, cum vident doctrinas falsas, bonisque moribus exitiosas, acri stylo, & vehementi oratione improbari, conteri, proculcari. Contra, qui minus probabiles, minus verisimiles sententias defendunt: qui dulcia pollicentur: qui pulvillos sub omni cubitu manus consuunt, submissa voce, & blandiloquentia tractari omnia vellent, aut supprimi, si possent, ut omnium animos sibi devincirent. Hæ sunt, inquies, figuræ Concinianæ. Pressius ergo disputemus.

XI. Qui docerent, adversus hæreses, quæ Christianæ Religionis dogmata pervertunt, non esse exaltandam vocem; non vehementi, & acri stylo configendas; non alto clamore excitandos, animandosque Catholicos, ut vigiles sint, & fortes, ut strenue pugnent ad doctrinam evangelicam vindicandam, nec illiciis, fucis, & blanditiis decipi se sinant; non ne in suspi-

(a) Matt. 13.

picionem isti venirent, se hæreses istas fovere, atque eisdem patrocinium impendere? Te autem, utpote doctum Theologum, haud latet, æque Moralis Evangelicæ præcepta quæ appetitiones coercent, & voluntatem morum integritate imbuunt, divinitus esse revelata, atque divina fide tenenda, non secus ac speculativa fidei dogmata quæ mentem illuminant. Quare qui theses oppositas Evangelio, sive illæ mores a mandatis Decalogi præscriptos, sive articulos in Symbolo contentos spectent, defendit, hæreses propugnat. Olim contra fidei dogmata, nunc contra Evangelii præcepta errores grassantur. Sed omnes errores isti hæreses sunt, ut Theologi docent. Unum allegare sufficiat S. Thomam (a). *Quicumque enim dicit non esse peccatum id quod est contra præceptum Dei, hæreticus judicatur; sicuti hæreticus judicaretur quicumque diceret, quod fornicatio simpliciter non sit peccatum: est enim contra hoc præceptum Non mæchaberis, ut Sancti exponunt.* Qui in doctrina articulorum fidei a communi Sanctorum Patrum consensu, & Ecclesiæ traditione recedit, hæresis plus & minus notam non declinat. Idem autem dicamus oportet de illis, qui in moribus formandis, communi antiquorum Patrum, & Ecclesiæ doctrinæ se se opponunt. Non me, neque te forsitan latet, *P. Valerii Reginaldi* Societatis tuæ Theologi sententia, qua contendit, recentiores Casuistas in moribus formandis Patribus Ecclesiæ antiquis præferendos esse. Te oro, obtestorque, ut vitio mihi vertere nolis, si, ut hanc Socii tui mirificam doctrinam explicem, a semita digredi aliquantulum cogor. Ecce illius verba. *In definiendis quidem* (inquit ille) *circa credenda occurrentibus difficultatibus, quo antiquiores fuerint Auctores, eo majoris ponderis censeri ipsorum placita, tamquam viciniora traditioni, doctrinæque Apostolorum. In dirimendis tamen controversiis circa agenda enatis, potiorem ex adverso haberi rationem Doctorum Recentiorum, quos constiterit excelluisse in doctrina, ac diligentes extitisse in evolvendis, & expendendis aliorum sententiis, atque ponderandis de novo emergentibus agendorum, quæ ex eorum inspectione definienda sunt, circumstantiis: quarum tanta est inconstantia ex varietate personarum, locorum, temporum, ut plerumque nihil aliud in genere statui possit, quam TOTUM ESSE relinquendum prudentis arbitrio, qui illis inspectis, ac ponderatis statuat, quid RATIONI consentaneum videatur. Qua in re potiores partes MERITO tribuuntur Recentioribus, qui præsentium temporum, morumque conditiones perspectas habent.* (b)

XII. Nullus dubito quin tu ipse, mi Pater, gravem experturus sis commotionem, dum hæc serio recogitaveris. *Sanchez* ergo, *Diana*, *Caramuel*, *Tamburinus*, *Castropalaus*, *Escobarius*, *Zanardus*, *Bonacina*, aliique Casui-

stæ

(a) Quodlib. 3. a. 12. (b) In Monito ad Lectorem Praxis Fori Pœnitentialis Edit. Colon. 1633.

ftæ peritiores, sapientiores Cypriano, Athanasio, Basilio, Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, Augustino in dirimendis morum controversiis? Præfati SS. Ecclesiæ Patres, quia viciniores traditioni, & doctrinæ Apostolorum clarius percipiebant speculativa fidei dogmata; verum Sanctitatis Evangelicæ controversias, illis doctius, illis sapientius penetrant *Tamburinus*, *Castropalaus*, *Escobarius*, *Sanchez*, *Bonacina*? Animadvertas velim, facilius errores in morum, quam in fidei controversiis excogitare homines consuescere. Mente sola fidei implentur præcepta, & in eadem hæc sistunt. Morum mandata bellum acerrimum, continuumque indicunt, & gerunt carni, sanguini, & concupiscentiis. Quare omnes internæ appetitiones, & præsertim vaferrimus ille, & versutissimus amor boni proprii, propriarumque commoditatum sunt eloquentissimi Oratores, qui causam orant humanarum appetitionum, qui rationem obnubilant, & inflectunt, ut præcepta divina temperet, deliniat, accommodetque carni, & sanguini, ambitioni, ceterisque desideriis: & tamen Reginaldo tuo judice, hac in re *potiores partes merito tribuuntur Recentioribus Doctoribus Casuistis?* Cur hoc? Quia isti *præsentium temporum*, *morumque conditiones perspectas habent*. Nam tanta est rerum inconstantia, tanta personarum, locorum, & temporum varietas, inquit *P. Valerius Reginaldus*, ut *plerumque nihil aliud in genere statui possit*, *quam totum esse relinquendum Prudentis arbitrio*. Iste autem prudens Casuista, ad quam normam suam conformare decisionem debet? Ad Regulam Evangelii, Patrum, & traditionis? Quid in his morum controversiis Evangelia, Patres, & Concilia comminisceris? Debent prudentes Recentiores *omnibus inspectis*, *ac ponderatis statuere quid rationi consentaneum sit*. Exterminanda ergo Evangelia, & omnium SS. Patrum opera, ut superflua: nam hæc omnia morum scientia plena sunt. Quo, quæso, Opera Cypriani, Nazianzeni, Chrysostomi, Basilii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, & aliorum omnium in primis tendunt, nisi ut fidelium mores informent, & Sanctos efficiant Christianos? Sicut Evangelia Christi, ita & Patres paucis expediunt dogmata fidei: in morum præceptis exponendis, eorumque observantia persuadenda omnes vires exerunt, & eloquentiam occupant. De fidei controversiis tunc disputant, cum refellere emergentes hæreses occurrit. Ceterum præcipuum omnium Patrum institutum eo pertinet, ut fideles in morum doctrina a Christo Jesu, ab Apostolis, & istorum Discipulis accepta instruant. Et Sancti isti Doctores in morum controversiis postponendi sunt *Tamburino*; *Dianæ*, *Caramueli*, *Castropalao*, *Escobario*, *Lacroix*, aliisque rei casuisticæ peritis?

XIII. Hæc ne, mi Noceti, leni stylo, voce submissa, & languida oratione refellenda? Nihil *plerumque* absolute, *in genere* de morum integritate statui valet? Plerumque igitur superflua sunt Evangelia Christi, Epistolæ Apostolorum, Conciliorumque Canones? Ad temporum, locorum, & per-

ſonarum viciſſitudines inflectenda eſt evangelica lex ? Moralium controverſiarum negotium *prudentis arbitrio* derelinquendum eſt, ut omnibus inſpectis, & ponderatis ſtatuat, *quid rationi conſentaneum cenſeatur?* Hoc Hobbeſianum ſyſtema redolet, & *Naturaliſmum* promovet. Non itaque quod legi evangelicæ, non quod antiquæ traditioni, non quod ſacris Canonibus, ſed quod *rationi conſentaneum ſit*, definiri debet ? Singuli igitur Moralis Evangelicæ Judices erunt, non ſecus ac Lutherani ſuo privato inſtinctu controverſias fidei dirimunt. At illi ea decernunt, quæ verbo ſcripto magis conſentanea reputant ; iuxta autem *P. Valerium Reginaldum*, ea decernere debent prudentes Caſuiſtæ, *quæ rationi* conformia judicabunt. An heinc non conſequitur, Moralem Evangelicam in purum putumque *Academiciſmum, & Pyrrhoniſmum* recidere? Æque revelata eſt a Chriſto Jeſu doctrina morum, ac doctrina fidei. Si privati homines judices ſederent controverſiarum fidei, tot eſſent fere Religiones, quot homines, ut apud Proteſtantes plerumque evenit. Ergo ſi privati homines Caſuiſtæ judices inſtituantur REVELATÆ a Chriſto Jesu doctrinæ morum, actum de Morali Evangelica erit, & tot erunt morales opiniones, quot Caſuiſtæ. Aperiantur opera Dianæ, Eſcobarii, Lacroix, & ſimilium, ut, an aliquid ſimile advenerit, quiſque deprehendat.

XIV. Quid, inquis tu, opiniones Catholicorum cum hæreticorum erroribus confers? Abſit, ut Hæreſiarchas æquiparem Caſuiſtis. Sed aio, omnes Hæreſiarcas, fuiſſe prius Catholicos. Catholici Arius, Neſtorius, Eutyches, Macedonius, Wicleffus, Lutherus, Calvinus, ceterique omnes, qui primum, ut opiniones protulerunt ſuos errores, deinde pervicacia, & obſtinatione Hæreſiarchæ evaſere, & ſegregati ab Eccleſia fuerunt. Plures Catholici Scriptores erraruut : quia vero bona fide, & docili animo judicio Eccleſiæ ſe ſubjecere, Catholici perſeverarunt. Verum ſicuti veritas a quocumque ſit, bona eſt ; ita errores a quibuſcumque prodeant, noxii, pernicioſi, & malorum fontes exiſtunt, atque adeo manifeſtandi ſunt, ut veritas cuſtodiatur.

XV. His latius paululum diſputatis, tecum nunc, mi Noceti, colloqui lubet. Tu Concinam redarguis, quod opiniones Caſuiſtarum quas laxas, & pernicioſas ipſe reputat, *acri declamatione, ſalibus, jocis, conviciis, nimioque impetu inſectatus ſit*. At toto oberras, pace tua dixerim, oſtio. Evincendum tibi prius eſt, tales opiniones, neque falſas, neque laxas, neque Evangelicæ Moralis integritati adverſas, neque Chriſtianorum ſaluti pernicioſas eſſe ; & poſtea ignorantiæ, audaciæ, temeritatis arguere Concinam jure, & merito vales. Verum tu nec auſus quidem es, ejuſmodi opiniones ab errore, a laxitate, & animarum pernicie purgare. Ergo injuria ſumma, & manifeſta redarguis Concinam, quod eaſdem vehementer, & acriter profligare ſtuduerit. Perlege, mi Noceti, omnes Scriptu-

pturas divinas, omnesque Patres, eosque invenies altius exaltasse adversus errores vocem, & vehementi, acrique oratione insectatos fuisse falsas doctrinas. Lege Præfationem ad *Theologiam Christianam*, ubi quinque prolixis capitibus omni argumentorum genere suam styli rationem Concina asseruit. Nusquam legi in Scripturis sanctis Deum redarguisse Prophetas suos, quod æquo fortius, acrius, vehementiusque falsas doctrinas refellerint. Contra frequenter Doctores blandos, molles, benignos severe redarguit. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant*: clamat Isaias Propheta (*a*). Lacrymatur Jeremias: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* (*b*) Vehementius Deus per Ezechielem. *Væ Prophetis insipientibus. Quasi vulpes in desertis Prophetæ tui, Israel, erant... Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* (*c*) Christus Jesus peccatores incredibili mansuetudine tractavit. Falsarum doctrinarum Doctores severissime increpuit. Legantur quæ scribit Evangelista Matthæus adversus Pharisæos, qui erant Doctores Casuistici Veteris Ecclesiæ (*d*). Quid si rescribere testimonia Patrum vellem? Verum ne longius sim, referam tantum quæ scribunt duo sapientissimi Jesuitæ, quorum stylum similiter Probabilistis displicuit, ut hinc pateat vetustam esse illis hanc consuetudinem criminandi stylum, cum causam non audeant impetere. P. Michael Elizalde inquit: *Sed præter causam ipsam stylus etiam, dictioque vehementer displicuit. An vero de alæ muscæ compositione quæstio vertitur, & non de salute in primis nostra, & dein etiam reliquorum, ut quantacumque orationis vi, & efficacia uti non liceat? Num Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, ubi de moribus causa vertebatur, molli oratione fluxerunt? An unus Magister noster adversus falsas morum opiniones Doctorum legis leniter habebatur.* (*e*) Similia P. Camargus scribit, qui ob sanæ doctrinæ defensionem, ad Sacræ Inquisitionis Tribunal semel & iterum, ut ipse testatur, (*f*) delatus fuit, ejusque styli severitatem ferre adversarii non poterant. *Profecto*, inquit, *SS. Patres Ecclesiæ Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, Cyprianus, Prosper, Bernardus, & alii, qui, sicut in doctrina, sic etiam in modo dicendi primi post DOMINUM magistri nostri sunt, dum similes errores oppugnant, non molli, ac placida oratione fluere, sed torrentis adinstar ruere solent.* (*g*) Sed unum pro omnibus referre sufficiat Cardinalem Baronium splendidissimum Romanæ Ecclesiæ lumen, & ornamentum. *Habeo*, inquit, *Sanctissimos Patres, quorum in scribendo sequar exemplum, qui infracta animi constantia pro tuenda veritate*

(*a*) c. 3. (*b*) c. 2. (*c*) c. 13. (*d*) c. 23. (*e*) in Præf. ad 2. part. (*f*) part. 1. lib. 1. contr. 2. a. 3. n. 22. (*g*) in præf. §. 2.

te adversus eam pugnantes, non humili enervato, mollique stylo sunt usi, sed grandi, fortique miscentes etiam reprehensionum acrimoniam, in eos sententias aculeatas instar fulminis intorserunt. Sunt innumera horum exempla annis ferre singulis in ipsis Annalibus Ecclesiasticis recensita, quorum ex usu, dum lego frequenter, atque describo, idem mihi dicendi genus inhæsit, quod haud despiciendum putavi, probe sciens illud dono Spiritus potius, quam humana industria comparatum (a).

XVI. Alterutrum itaque tibi, mi Noceti, præstandum est. Aut ostendas oportet universæ Reipublicæ litterariæ opiniones, quas, ut falsas, laxas, & animarum saluti perniciosas proposuit P. Concina, tales non esse; aut si hoc non vales, probare ejus stylum, quo illas confutavit, debes. An dicturus es leni, blandoque stylo confutandas illas opiniones esse, in quibus æternæ salutis negotium periclitatur? Hocce ne propugnare audebis? Tuam hanc, atque tuorum censuram jam in præfatione ad primum *Christianæ Theologiæ* tomum penitus in antecessum Concina labefactavit. Animadvertit ibidem grassari opiniones falsas, & laxitatis plenissimas, dominari scelerum monstra, serpere errores gravissimos, laxatam disciplinam, contemptas leges. Lugent docti, indoctique impietatem erecto vultu, & aperta fronte vexillum explicare. Quid postea? Si aliqui foras erumpant, vocemque extollant: si pro domo Dei stare, & divina tueri jura velint: si opiniones falsas seductionis plenas, & benigitatis fuco illitas intrepide refellant, & deridendas pro meritis propinent: continuo murmura, & clamores usquequaque resonant; læsam caritatem, diffamatos Casuitas, obscuratum eorumdem Institutum vociferantur. Quod divinæ veritatis facies decolorata, & meretriciis doctrinarum fucis deformata jaceat, quod sacrarum legum depositum prodigatur, & expiletur, quod sulphure vitiorum flammæ a quatuor angulis ardeant, bitumina evomant, ultimamque minentur ruinam, nec tantillum commovet illos novos misericordes homines; immo respondent *aureum esse Sæculum nostrum*. Tantum ne Casuistæ laxarum opinionum Auctores, vel oblique occasione veritatis asserendæ lædantur, omnia salva, & tuta sunt. Numquam ergo implendum divinum mandatum? *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & Domui Jacob peccata eorum (b).* Si dicatur Doctores Casuistas publicis typis suas evulgando opiniones, universi generis humani judicio, & censuræ illas subjecisse, atque adeo in omnes leges peccare, dum aliorum justas subire censuras recusant, nihil efficitur; & quando aliud non habent, quod reponant, obmurmurant violari caritatem, ac si haberi caritas sine veritate posset. Clamat quippe S. Paulus: *Eo quod caritatem VERITATIS non*

(a) Apol. Resp. adv. Card. Colum. Præf. (b) Isai. 58.

non receperunt, ut salvi fierent: ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio (*a*). Verendum profecto, ne qui pro falsitate obfirmate pugnant, huic formidando supplicio obnoxii subjaceant.

XVII. Quid, mi Noceti, si Commilitonum tuorum styli acerbitatem incredibilem, & impetum incitatissimum, quo opera sua adversus libros P. Concinæ exararunt, describerem? Concina opiniones, quas existimavit falsas, Evangelio adversas, acri stylo confixit, & interdum salibus perfricuit, atque deridendas, execrandasque perhibuit; eorumdem vero Auctorum piam intentionem, animum rectum prædicavit, ut dixi alias, & dicendum sæpius est. Contra vos ipsam personam, ipsum Concinam aggressi estis, illum, ut *Rigoristam, Tutioristam, fanaticum, malignum, impostorem, calumniatorem* traduxistis. Sed parva hæc sunt. *Ario, Luthero, Calvino nequiorem Cacodæmone obsessum, triplici spiritu odii, invidiæ, & maledicendi exagitatum, meritumque, ut igne comburatur*, illum declaratis, & quidem repetitis publicis typis: infortunium tandem non nemo vestrum eidem comminari visus est. Hæc omnia christiana patientia Concina tulit, nullo reposito verbo, quo suam defenderet personam. Et cum hæc ita se certissime habeant, quorum omnium luculentissima documenta Urbi, & Orbi nota sunt; nihilominus styli Conciniani acrimoniam accusare audetis? Excusatio unica occurrit, quod ab integro sæculo, ut ex Elizalde, & Camargo patet, hoc remedium in usu fuit ad benignam tuendam doctrinam. Audiamus P. Ignatium Camargum id testantem: *At video complures esse Probabilistas sane DELICATISSIMOS, qui cum ipsi AUDACISSIME non modo de nostra sententia, verum & de PATRONIS ipsius, quidvis loquantur, & scribant, benignam tamen suam opinionem vel LEVITER tangi non ferunt* (*b*). Lege quæso, mi Noceti, Epistolas Eusebii Eranistes, ubi incredibilem conviciorum, scommatum, & contumeliarum congeriem invenies, quam in Personam P. Concinæ scripserunt socii tui, non secus ac tu, qui illum calumniæ, & imposturæ reum publicis typis traducis, propterea quod ad salivam tuam non ratiocinatur.

XVIII. Alterum propositi argumenti tui punctum paucis expediam. *Exquisitum artificium* (inquis) *quo Jesuitæ nominatim, ac proprie in odium adducuntur, & apud accedentes ad Pœnitentiæ Tribunal in suspicionem vocantur nemo non videt*. Jesuitæ *nominatim* in odium adducuntur? Te provoco, mi Noceti, ut vel unicum locum, sive ex Theologia Christiana, sive ex aliis operibus Concinianis designes, in quo Jesuitæ in odium *nominatim, & proprie adducantur*. Nisi hunc locum designes, falsitatis reum te perhibes. Ea cautela Concina opera sua scripsit, ut numquam sine laudis præfatione Societatis meminerit. Si opiniones Casuistarum

(*a*) 2. Thes. 2. (*b*) in Præf. §. 2.

rum Societatis improbavit, numquam dixit illos esse Jesuitas. Contra, cum Sapientiorum Societatis Theologorum meminit, tum palam fecit Jesuitarum nomen, quia id cedere in decorem Societatis existimavit. Et ut te, tuosque commilitones omnes ad incitas redigam, responde, si potis sis. Casuistæ, quorum opiniones singulariter refutavit Concina, sunt sequentes: *Sanchez*, *Escobarius*, *Tamburinus*, *La-Croixius*, *Castropalaus*, *Viva*, *Gobatus*, *Terillus*, & alii similes. Numquam scripsit istos fuisse aut Jesuitas, aut Societatis Jesu. Theologos quos contra Jesuitas appellat, sunt sequentes: Cardinales *Toletus*, *Bellarminus*, *Pallavicinus*, Præpositi Generales duo: *Vitellescus*, & *Gonzalez*, *Comitolus*, *Blancus*, *Elizalde*, *Camargus*, *Muniessa*, *Antoine*. Hos sæpe opportuna distributione appellat Splendidissima Societatis Astra, Ecclesiæ Ornamenta, Sapientissimos, Celeberrimos Jesuitas. Dic sodes, mi Noceti: quænam istius duplicis Jesuitarum classis luculentius eminet in Republica Literaria: secunda, an prima? edisfere. Nulla hic ad effugium via patet. Explica sententiam tuam. Audebis ne tu præferre *Bellarmino*, *Toleto*, *Pallavicino*, *Comitolo*, *Gonzalesio*, *Vitellesco*, *Elizaldæ*, *Camargo*, Escobarios, Palaos, Tamburinos, Sanchezios, La-Croixios, Burgaberos, Gobatos, Terillos? Quid præbes responsi? Quid turbaris? Nonne isti Causistæ Probabilistæ noctuæ sunt, si cum Theologis a Concina laudatis comparentur, in conspectu Solis? Hoc certum, compertumque est apud universam Rempublicam Literariam. Ergo Sapientiores Theologi Jesuitæ a P. Concina stant, ejus doctrinam confirmant, atque illius causam patrocinantur. Benemeritus igitur de Societate Concina, velis, nolis, est, cum præcipuos ejusdem, & Sapientiores Theologos miris extollat præconiis, eorumque sententias amplectatur. Urgeo te pressius. *Bellarminus*, *Pallavicinus*, *Gonzalez*, *Elizalde*, *Camargus*, & alii Jesuitæ eamdem ac Concina causam defendunt, doctrinam propugnant; & nulla damnata thesis, nulla æquo rigidior opinio in eorum operibus occurrit. Contra *Sanchezii*, *Tamburini*, *Castropalai*, *Escobarii*, *Gobati*, *Moyæ*, *Vivæ*, *La-Croixii*, & aliorum opera plus, & minus opinionibus aut damnatis, aut laxis, & laxioribus scatent. Si hos Casuistas præferatis aliis Theologis, quos Concina extollit; vos ipsi sponte fatemini vos esse laxioris Ethices patronos, & defensores. Si contra, doctrinam Bellarmini, & ceterorum defenditis, rejiciatis, & detestemini simul cum Concina laxas Tamburini, Sanchezii, Gobati, aliorumque opinationes oportet. Nullum hic effugium patet, rima nulla. Aut cum Concina adhærendum *Bellarminis*, *Pallavicinis*, *Toletis*, *Gonzaleziis*, *Elizaldis*, *Camargis*; aut pro laxa doctrina in *Sancheziis*, *Tamburinis*, *Escobariis*, *Palais*, *Gobatis* contenta pugnandum. Tempus ad deliberandum exhibeo. Antequam huic Epistolæ finem impono, scias velim, mi Noceti, P. Concinam non adeo insanire, ut stylum suum purgare ab omni nævo contendat. Cum Sancto Augustino fatetur: *Ego me*

longe

longe esse sentio ab ista perfectione, de qua scriptum est : Si quis verbo non offendit, hic perfectus est vir. (*a*) At simul cum eodem Sancto Augustino reponit : *Numquam errari tutius existimo, quam cum in amore nimio veritatis, & rejectione nimia falsitatis erratur.* (*b*) Tandem ejusdem S. Doctoris verbis huic Epistolæ finem impono. *Cœpi non dicere bona , cum timeo ne dicam aliqua mala, & reprehendi consilium meum. Silui enim a bonis, & dolor meus renovatus est. A dolore quippe quodam, quem mihi infixerant calumniatores, & reprehensores, tamquam requieveram in silentio, & cessaverat dolor ille, qui factus erat a calumniatoribus: sed ubi silui a bonis, renovatus est dolor meus. Cœpi plus dolere tacuisse me quæ dicere deberem , quam dolueram dixisse quæ dicere non deberem.* (*c*) Fac ut valeas.



C EPI-

(*a*) Epist. 151. (*b*) Lib. I. de mend. c. 2. (*c*) In Psal. 38.

EPISTOLA II.

AD

P. CAROLUM NOCETIUM

SOC. JESU.

ARGUMENTUM.

Equidem de ceterorum Ordinum Theologis eamdem curam non suscepi : Sed ideo fuit, quia illi, quos hujusmodi res propius contingit, multo quam ego sapientiores sunt : neque mea opera egent, ut idem copiose, luculenterque perficiant. P. Carolus Nocetius pag. 5.

I. NON scriptis modo, verum etiam voce, consilio, adhortationibus, aliorum Ordinum Theologos, mi Noceti, tu, tuique Socii plures provocastis, ut illi *Leandrum*, isti *Dianam*, alii *Sporerium*, ceteri *Salmanticenses* a calumniis, ut vestra phrasi utar, P. Concinæ vindicarent, ut ex transcriptis tuis verbis compertum est. Adhortationum vestrarum pertæsus unus prudentia, & doctrina clarus reposuit : Nos tanta non laboramus stultitia, ut Auctores nostros fallinescios reputemus, aut ut eorumdem laxas opinationes defendamus. Dignum præclaro viro responsum.

II. Sponte itaque, mi Noceti, & libere fateris, P. Concinam non solius inclytæ Societatis, sed cujuscumque Ordinis Casuistarum laxas opiniones designasse, atque pro viribus labefactare nisum esse. Neque solus es, qui hanc sinceram confessionem promas. Fassi sunt ante te & P. Franciscus Antonius Zaccaria (*a*) inquiens: In catalogis propositionum laxarum, quas singulis dissertationibus præmittit, emicant *Diana*, & *Sporer*, luculentius splendet *Leander a SS. Sacramento*, *Salmanticenses* : & P. Jacobus Sanvitale, cujus verba latine reddita lubet hic dare, ut ea lectores meditentur. „ P. Concina asserit, se non minus Casuistarum aliorum Or-
„ dinum, quam Societatis laxas opiniones confutasse, & præsertim Sal-
„ manticensium. Et nihilominus isti silentio litarunt. Si hoc prudens e-
„ xem-

(*a*) Lib. I. Hist. lit. 1. 3. pag. 54.

„ xemplum imitati Jesuitæ fuissent, magnam sibi, & proprio Instituto glo-
„ riam, & existimationem comparassent, multumque detrimenti in re lit-
„ teraria declinassent. "

„ Respondetur. *Silentium illud Filiorum S. Theresiæ actum esse HEROICUM,*
„ *& Religiosis viris, qui vitam profitentur austerissimam, & intimam conjunctio-*
„ *nem cum Deo naturalem. Quare tanto in pretio habentur ab omnibus, ut nihil*
„ *a P. Concinæ maledictis timere possint. Verum ipse P. Concina expectare a Je-*
„ *suitis ACTUS HEROICOS nequaquam debuerat.*" Quid? Falleris mi Pater, & quidem summopere. Tam altam de inclyta Societate præconceptam existimationem P. Concina habet, ut heroica acta, & mirabilia facinora expectare ab eadem paratus ille semper fuerit. Minus digne scribere de Jesuitis hic videtur P. Sanvitalis, digniusque de iisdem sentit P. Concina.

III. Indiscriminatim itaque, vobis fatentibus, Casuistarum cujuscumque Instituti Concina falsas opiniones refutavit. Cur igitur vos soli ceteris omnibus silentibus, ad arma conclamatis? Cur vos soli, explicatis vexillis, in arenam descenditis, & ad fœdus ineundum adversus Concinam, ceteros Sacros Ordines invitatis, allicitis, adhortamini? Quo recidant hæc consilia, & conatus vestri, forsitan ipsi non advertitis; sed *quo tendat rigor iste benignitatis facile est divinare*, inquit doctissimus Socius vester Camargus. Pandam ego & manifestabo consectaria absurda, quæ heinc manant. Vos contenditis Casuistas Societatis a laxitatis nota immunes esse: idem de aliorum Ordinum Theologis judicium fertis, cum eosdem in fœdus vocatis, & ad eamdem pugnam, quam vos Concinæ intentatis, peragendam, animare satagitis. Quid heinc? Necessario consequitur, nullos in Catholica Religione laxioris Ethices Casuistas reperiri, nullos, qui theses a Romana Sede damnatas contineant. Theses istæ sine patre, absque matre, seipsis prodiere. Soboles hæc venefica parentes non agnoscit, quia non habuit. Commentitias ergo, & chimæricas propositiones damnavit Romana Sedes, cum iuxta vos in nullo reperiantur Auctore. Quam sit hoc absurdum grave, quam Sanctæ Romanæ Sedi injuriosum, ipsi percipitis.

IV. Verum, ut luculentius veritas splendeat, operæ pretium existimo palam facere consilium hoc vestrum cum evidentissima veritate pugnare. Nam communis Episcoporum Gallicanæ, Hispanæ, & fere universalis Ecclesiæ sensus est, in Moralem Evangelicam laxarum opinionum fermentum irrepsisse. Testatur Summus Pontifex Alexander VII. *complures opiniones christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes . . . . . prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate*. Hoc confirmat Ecclesia Gallicana, testantur Episcopi Hispani plures, & communis omnium sen-

 sus.

fus. Sed testem adducere volo omni exceptione, penes vos, majorem, nempe insignem Probabilistam.

V. Is est P. Antonius Terillus Societatis Jesu, *Probabilismi reflexi* Probabilismo directo longe pejoris inventor, & parens, qui hæc in præfatione ad tractatum de conscientia inter plura scribit. „ INNUMERABILES „ sunt, qui a triginta annis summis Casuum, rerumque moralium tractatibus Bibliothecas impleverunt..... Ad nova promenda animosiores effecti „ *in opiniones laxiores* oculos, animumque conjecerunt, gnari *eas præ omnibus* „ *rudiori legentium vulgo* placituras... Vidi ego ex hisce recentioribus nonnullos viros, ceteroquin egregios, qui cum in rebus summi momenti ad „ Dei legem, & conscientiæ obligationem pertinentibus ab unanimi „ omnium sententia *ad intolerabilem opinandi laxitatem declinassent*, aliud „ tamen, quo moverentur, quam a simili ductum non habebant. *Vidi, &* „ *exhorrui : quis enim* non horreret?... Neque hic stetit quorumdam *audacia*. *Plurimi* enim, etsi doctrina longe inferiores, similem quoque arguendi modum sibi licitum existimantes ex laxis resolutionibus ad alias „ laxiores iter *sibi*, rectius dixerim, *& sibi, & aliis praecipitium aperuerunt* : „ atque ita brevi effectum est, ut *plures laxitates vere non ferendæ*, in oculos legentium non sine *plurimorum scandalo* frequenter incurrerent. Nec „ defuere, qui laudi sibi verterent *laxiores sententias in unum colligere, easque tamquam legitimas conscientiæ regulas sub specioso PROBABILITATIS* „ *tegmine venditare*. Cum enim apud Auctores iam in ore vulgi *ob suam* „ *laxitatem celebres* resolutionem aliquam invenissent, illico eam pro vere „ probabili habuerunt... Unde factum est, ut quascumque opiniones expresse ab Ecclesia non condemnatas apud quemcumque reperissent, eas „ pro vere probabilibus & ipsi haberent, & aliis pro regula ad conscientiæ tranquillitatem opportuna traderent. *Immo incredibile non est, eos* „ *subtili SATANÆ insinuatione deceptos* sub humanitatis cujusdam *lenocinio*, „ *mutuique honoris specie*, quibusque aliorum dictis probabilitatem ideo attribuisse, ut quam *ipsi prærogativam prioribus ultro dedissent, eam ipsis posteriores non inviderent. Hac arte dolosus inimicus* postquam doctiores, qui & „ sibi invigilare, & aliis prospicere debuerant, *prægustato plausu amplioris famæ per laxarum opinionum evulgationem sibi certo acquirendæ*, fascinasset, per eos nimis incautos in Campo Moralis Theologiæ optimo severarum opinionum tritico abunde sato, *detestanda laxitatis zizania* superseminavit, & abiit : *conscius quippe erat, ea absque boni tritici jactura num-* „ *quam evellenda*. Quid enim? tolerandæ erunt *scandalosæ laxitatis opiniones nocivæ*? At hoc ipsum erat, quod omni cura, ut fieret, conabatur. „ Quid ergo? eradicandæ erant non tam emergentes gemmæ, quam adultæ, *vinculatæque cum tritico zizaniorum herbæ*? At id absque tritici iactura, idest absque sinceræ doctrinæ radicitus non tam convellendæ, quam „ evel-

„ evellendæ periculo fieri haudquaquam posse non immerito gloriabatur."

VI. Qui hæc docet, mi Noceti, non est Pascalis, non Arnaldus, non aliquis Jansenista; sed est P. Antonius Terillus Jesuita, Probabilista, immo *Probabilismi reflexi* Parens, & Princeps. Qui clamores, quæ murmura, quæ turbæ non concitarentur, si Concina, si Antiprobabilistarum quispiam talia scriberet! P. Antonius Terillus testatur *innumerabiles* esse Casuistas, qui moralibus controversiis bibliothecas replevere: qui, *ut ad famam, quam aucupabantur, pervenirent, in opiniones laxiores oculos conjecerunt*. Vidit, & exhorruit Casuistas istos plurimos, qui ex laxis resolutionibus *ad alias laxiores animosiores facti, præcipitium* & sibi, & aliis aperuerunt. Advertit has *scandalosæ laxitatis* opiniones sub probabilitatis tegmine venditasse. Terillus igitur ipse laxitatis fontem Probabilismum designat. Immo subdit: incredibile non esse eos, *subtili Satanæ insinuatione* deceptos, acquirendæ popularis famæ lenocinio *detestanda laxitatis zizania*, & laxarum opinionum scandala in Campum moralis Theologiæ invexisse. Duo itaque ut certa constituit P. Antonius Terillus. Primum, innumera laxarum opinionum paradoxa, quæ horrorem ingerunt, sub *probabilitatis tegmine* invecta in Theologiam Christianam esse. Alterum, Casuistas plurimos, has laxas opiniones, quibus & sibi, & aliis præcipitium præpararunt, excogitasse, ut famam, plausum, & populorum frequentiam, & existimationem conciliarent. Concina contra continenter inculcavit, Casuistas istos, pia intentione succurrendi humanæ imbecillitati deiinivisse legis evangelicæ severitatem. Quid ergo est quod Concinam traducatis tamquam calumniatorem Casuistarum; Terillum autem vestrum, qui ea de Casuistis scripsit, quorum nec meminit quidem Concina, præconiis efferatis? Verum hoc dicis gratia, & id quod præcipuum est causæ argumentum urgeamus.

VII. Compertum itaque est, atque ineluctabile, tum Summorum Pontificum, tum universæ fere Ecclesiæ, tum ipsorum Probabilistarum testimonio, tum denique manifesto librorum Casuistarum experimento, laxarum opinionum zizania immixta esse moralis Evangelicæ tritico. At Terillus neminem designavit Casuistam. Verum habet. At in hoc erravit. Sævit pestis in Civitate, & non sunt manifestandæ domus, in quibus grassatur, ut sani cavere sibi ab eisdem queant? Libri plurium Casuistarum scatent, redundantque, ut demonstratum est, *scandalosæ laxitatis zizaniis*, ut fatetur Terillus: & monendi imperiti lectores non sunt, quibus in libris serpant zizania ista, quæ animas Christi Sanguine redemptas trucidant, & in Orcum æternum immittunt? Auderes ne, mi Noceti, in conspectu Reipublicæ Christianæ propugnare, tegendos, occultandosque esse libros istos? Auderes ne defendere, non esse laxas ejusmodi opiniones super tecta manifestandas, clamandumque, quibus in libris reperiantur? Quid hiscis? Di-

Dispendio ne, & æternæ animarum damnatione parcendum est libris, quos Casuistæ libere, & sponte publici juris fecerunt, & sicuti P. Antonius Terillus ait, ut plausiim amplioris famæ sibi compararent?

VIII. Jam mihi videre videor te, mi Noceti, his argumentis pressum, duo fateri, nempe & libros morales plurimos opinionibus laxis redundare, & libros istos una cum laxitate opinionum manifestandos esse. His duobus tamquam certis constitutis, tertium patefaciendum superest, quod est invidiæ, periculique plenissimum. Qui scilicet sint hi Auctores, quinam libri isti? Ego qui rei Casuisticæ decennium circiter operam dedi sedulam, eos designabo, quos tales inter omnes eminere, ni fallar ipse, deprehendi. Hi autem sunt Thomas Sanchez, Joannes Sanchez, Diana, Caramuel, Burgaber, Tamburinus, Escobarius, Zanardus, Castropalaus, Lacruz, Leander, Gobatus, Bordonius, Antonius a Spiritu Sancto, Bonacina, Sporer, Pasqualigus, La-Croix, Mazzotta, Viva, aliique istorum asseclæ. Jam te audio, o Noceti, mihi improperantem, & calumniæ redarguentem, quod his recensitis Auctoribus notam laxitatis affinxerim. Tuum ergo est manifestare, quinam sint Auctoribus a me recensitis laxiores. Jam duo mihi concessisti: unum plurimos esse morales libros laxitatis lue inquinatos: alterum ejusmodi libros designandos esse, æterna animarum salute id postulante. Tertium necessario consequitur, quod nempe nostrum alter designare istos Casuistas, & laxarum opinionum zizania debeat. Ego manifestavi illos, quos primos laxarum opinionum reputavi magistros, a quibus ceteri Summistæ, & Casuistæ inferioris subsellii suas opiniunculas transcribunt. Si tu contra a laxitatis nota immunes istos asseris, designa, quinam alii sint Casuistæ, qui morales cursus, ut vocant, ediderint, & laxiores sint iis, quos ego designavi. Evadere hinc nullo modo vales. Duo itaque tibi, mi Noceti, præstanda sunt. Primum retractare consilia, & adhortationes debes, quibus & tu scripto, & Commilitones tui voce, aliorum Ordinum Theologos provocastis, ut & ipsi exemplum vestrum imitarentur, suosque Casuistas a laxitatis nota assererent. Alterum autem præstes oportet, ad majorem Dei gloriam, nempe: aut Moralistas a me designatos præcipuos esse laxarum opinionum Magistros fateare necessum est: aut tu alios designare Casuistas debes, qui laxiora doceant. Hic est hujusce controversiæ finis unicus: & nulla heinc ad effugium rima patet. Quare, ne te diutius in quæstione torqueam, plurimam tibi adprecor salutem, ut solidum Reipublicæ Literariæ responsum præbere queas. Iterum vale plurimum.

EPI-

EPISTOLA III.

AD

P. CAROLUM NOCETIUM

SOC. JESU.

ARGUMENTUM.

Illud addo: sat est Epistolas Provinciales, Theologiam Moralem Jesuitarum, Henricum a S. Ignatio, Synnichium, Gennetum, paucosque alios severioris disciplinæ Patronos, vel cursim perlustrasse, ut intelligatur, unde hæc tandem fere tota Theologia exscripta sit. P. Nocetius in Præf. pag. 4.

I. FAcillimæ decisionis est, mi Noceti, hoc, quod ex tuo libro excerptum est argumentum, quodque non in præfatione modo proponis, sed frequenter in universo tuo libello repetis, & Concinæ exprobras. Epistolæ Provinciales, Theologia Moralis Jesuitarum, opera Henrici a S. Ignatio, Synnichii, & Genneti ex una: & opera P. Concinæ ex altera parte publici juris sunt. Facillime ergo demonstrari, quod objicis, plagium, & furtum potest. Adfirmanti autem probare incumbit, quod evulgat. Surda pertransire aure decreveram hanc, quam tu vocares manifestam imposturam, & invidiosissimam calumniam, sed ego rancidam, & vetustam cantionem appello, quam ab integro fere sæculo canere cœpistis plurimi. Verum dum serio recogito, nullum hodiem in lucem de morum integritate opus prodire, ex Evangelio, ex Patribus, ex Sacris Canonibus conflatum, quod continuo non traducatur ut plagium Epistolarum Provincialium, Theologiæ Moralis Jesuitarum, Sancirani, Vendrochii, Jansenistarumque; deliberavi vos ad incitas redigere, atque urgere, ut vel hoc factum probetis, vel falsitatem ratractetis, vel universa Respublica Christiana sciat, vos falsa crimina imponere sanioris Theologiæ vindicibus.

II. Et ut ab Epistolis Provinciblius Paschalis incipiam, præscius Concina hujusce criminationis, cum cœpit suam scribere *Theologiam Christianam*, Epistolas Provinciales e cella sua extraxit, easque P. Vincentio Patuzzio Concellitæ suo consignavit, dicens: Has tu conserva Epistolas, ne Jesuitæ Scriptores vetustam suam cantilenam adversus me recinere de morequeant.

Theo-

Theologiæ Christianæ Auctorem has expilasse litteras. Factum hoc verum est, & testis vivus; non ideo tamen illud narro, ut fidem tu eidem adhibeas, sed ut ceteri illud legentes, parumper rideant.

III. Ut vero te falsitatis revincam, non multis est opus. Epistolarum Provincialium aliæ Jansenii factum tractant, & Molinismum, atque Portus Regii tricas discutiunt. Has ne Epistolas expilavit Concina? Video te hic obmutescere. Aliæ Epistolæ plures laxas propositiones Casuistarum Societatis, jocis, salibus perfricant, atque deridendas, & detestandas propinant. Ubinam in Epistolis Provincialibus controversiæ morum ex instituto discutiuntur, & explicantur? Ad propositiones laxas Jesuitarum quod attinet, olim Socius tuus P. Monti in suo libello inscripto *Difesa della Dissertazione Teologico Morale Critica &c.* nempe Defensio eorum qui in Quadragesima *ob piscium nauseam, & incommodum carnes manducant, tum mane in prandio, tum sero in cœna*, Concinam accusavit, quod laxas de jejunio opiniones recensitas in suo libro nuncupato *La Quaresima appellante* exscripsisset ex Epistolis Provincialibus, & ex altero Libro inscripto *Artes Jesuiticæ*. Hanc falsitatem Concina evidenter demonstravit in Appendice ad *Tom. II. Hist. Probab., & Rig.* adjecta, ubi 49. opiniones laxas de jejunio in Artibus Jesuiticis contentas attulit, quarum nec una rescripta erat in libro *La Quaresima appellante*. Obmutuit Socius tuus, nec amplius in arenam descendit. Eodem te nunc argumento aggrediar. Nimium excresceret Epistola hæc, si Paschalis propositiones isthuc transcriberem. Sed te provoco, ut propositiones Provincialium simul cum omnibus propositionibus Theologiæ Christianæ collatas in publicum edas, ut quod scripsisti evincas. Alioquin reus falsitatis apud universam Christianam Rempublicam perpetuo apparebis. Interim perpendas velim quæ adversus Provinciales Epistolas Concina scripsit Tom. X. pag. 89. *Epistolas Provinciales ab Ecclesia damnatas detestor: tum quod Janseniana lue sint inquinatæ, tum quod quorumdam Casuistarum laxas opiniones Jesuitis, & ipsi Inclytæ Societati impingere videantur; quam ego calumniam millies execratus sum, æternumque execrabor: cum & leges Societatis, & Sapientiores Jesuitæ sicut probabilismum, ita & laxas, quæ inde veluti ex fonte profluunt, opiniones, improbent. Ceterum unum adjicio, Montaltium ut plurimum fide summa transcribere opiniones Casuistarum & quantum ad verba, & quantum ad sensa.* Ad hæc ultima verba tu reponis pag. 283. *Octavum fuisse Terrarum Orbis miraculum, nisi P. Concina asseruisset fidem Epistolis Provincialibus, quas, ut suam Theologiam locupletaret, expilavit. Sed non est aptus assertor alienæ fidei, qui tam frequenter deficit in sua.* Num Concina, ut tu urbanissime asseris, iura bonæ fidei læserit, *Dinellius, & Eusebius Eraniste* demonstrarunt, & rursus patefacient. Quod a Paschalio propositiones Casuisticæ sincere relatæ sint, facti veritas est adeo luculenta, ut nemo hactenus integro sæculo evincere oppositum potuerit. In Dialogis Cleandri, & Eudoxii paucæ in discrimen

ad-

adducuntur infelici eventu, & Dialogi isti latine editi damnati fuerunt. *Octavum orbis miraculum* fuisset, nisi, tu mi Noceti, ad hoc Epistolarum effugium te recepisses.

IV. Mirifici sane plures vestrum estis, cum Casuisticæ laxitatis censoribus invidiam conflare deliberatis. Cum primum Paschalis evulgavit Epistolas Provinciales, eum maiores tui, mi Noceti, accusarunt omnia ab Hæretico Molinæo hausisse, atque, non secus Paschalem Societatem calumniari, ac Calvinistas infamare Ecclesiam Catholicam. Vendrochius in notis paucis rem in tuto ponit his verbis. *Eccui enim probatum iri sperant Jesuitæ e Molinæi fontibus hausta, quæ Montaltius, ex Casuistis profert, cum illi, quibus frequentius utitur, Amicus, Baunius, Escobarius, Cellotius, Sirmundus haud paulo post Molinæum scripserint?* (a) Notæ Vendrochii non sunt, quod sciam, damnatæ, ut notæ P. Honorati Fabri in ejusdem notas. Hac eadem ratione ego evidentissime patefacio falsum esse, quod tu, mi Noceti, adversus Concinam scribis. *P. Claudius La-Croix, P. Dominicus Viva, P. Pichler, P. Sporer, P. Leander, quos præ aliis* cribrat, & excutit Concina, pluribus lustris post Epistolas Provinciales sua evulgarunt opera. Decretoria hæc sunt, mi Noceti, contra ea, quæ tu scribis adversus *Theologiam Christianam*. Alterutrum ergo. Aut retractandum, quod adversus Concinam scripsisti, tibi est: aut subeunda injustæ criminationis macula. Sed ultra pergamus.

V. *Theologia Moralis Jesuitarum* aliquam ne controversiam Theologicam interpretatur? Quid hæc Theologia continet, nisi Episcoporum, & Archiepiscoporum censuras in Apologiam Casuistarum evulgatam a *P. Pirot* Jesuita: & plura alia scripta adversus laxiorem Ethicen Sanchezii, Tamburini, Baunii, & aliorum?

VI. Similiter Vendrochius notas in Provinciales Epistolas, dissertationem in Probabilismum adornavit, & laxitatem opinionum moralium, quas recensuit Paschalis, validius exagitare studuit. Nullum vero Theologiæ Moralis tractatum, quod ego sciam, edidit. Quid igitur ex Vendrochio transcripsit Concina?

VII. Joannes Synnichius opus edidit inscriptum *Saul Exrex* in capita cxliv. tributum. A capite xciv. usque ad caput cxxiii. idest capitibus xxix. adversus Probabilismum, & contra laxitates Tamburini, Caramuelis, aliorumque Neotericorum calamum acuit. Felicius autem, & validius posteriores Synnichio Theologi, præsertim Baronius, Contensonius, Gonetus, Elizalde, Camargo, Tyrsus Gonzalez, aliique Probabilismum, & Tamburini, Caramuelis, aliorumque laxas doctrinas profligarunt. Inepte igitur, & facti veritate repugnante Synnichium obtrudis. Quid plura? Non modo Concina quidquam a Synnichio adversus Jesuitas non transcripsit,

D sed

(a) In Not. præamb. n. 2.

sed Jesuitam Tamburinum a laxa opinione quam eidem Synnichius adscribit, vindicat, accusatque Synnichium injustæ criminationis. Si hoc verum esset, ajunt omnes, nimio suffundi pudore Nocetius deberet. En splendidissimum veritatis propositæ monumentum. P. Concina. *Tom. IV. Theolog. Christ. pag. 657. num. 111.* hæc scribit: *Joannes Synnichius* in suo Saule Exrege capite CXIX. *injuste vexat Thomam Tamburinum, quasi istius opinionis inventorem, atque laxitatis reum postulat. Verum quemadmodum frequenter juste vapulat Tamburinus a Synnichio, sic in præsens Synnichius immerito, ut ego quidem arbitror, & ut id, quod sentio, nullo partium studio præventus dicam, Tamburinum torquet, cum is talem opinionem a Cajetano, Lessio, aliisque mutuatus sit.* Quid ad hæc, mi Noceti? Quid tibi superest, ut honestati tuæ consulas? Non aliud sane, nisi eorum, quæ adversus Concinam scripsisti, sincerissima Palinodia.

VIII. Non minorem ingerit admirationem, quod ausus fueris in medium afferre *Henricum a S. Ignatio*, quem ex instituto Concina confutat in præcipuis controversiis, præsertim de operibus Infidelium, de contractibus, aliisque plurimis, ut quisque videre potest. Quid quod non modo Concina refellit plures Henrici a S. Ignatio sententias, sed præterea monet lectores Theologum hunc minus esse sincerum in referendis aliorum Theologorum sententiis, & celeberrimum Theologum Jesuitam vindicat ab ejusdem criminatione? Verum ne hoc? Verissimum. En Concinæ verba, quæ licet prima Dinellii Epistola data fuerint vulgari lingua, lubet eadem latine reddita ob oculos revocare. *Cardinalis de Lugo alter est antiquorum Theologorum, qui teste P. Viva, docuit Philosophismum innoxium, ab Alexandro VIII. minime confixum. Ut veritati, & P. Vivæ æquitati faciam satis, fateor doctum hunc Cardinalem loqui in sensu hypothetico, & Philosophismum proscriptum, ut mihi videtur, non docere. Pater HENRICUS A S. IGNATIO peccati Philosophici Auctoribus accenset etiam hunc insignem Theologum, adducitque testimonium excerptum ex Disp. 5 Sec. 5. de incarnat. Prolixam sectionem legi, & testimonium non esse sincere transcriptum deprehendi, quoniam doctrinæ ibidem occurrunt, quibus sano in sensu exponi illud testimonium valet. Fateamur veritatem oportet. Præfatus Henricus a S. Ignatio sæpe minus exacte Auctorum sententias refert. Id autem idcirco moneo, ne lectores eidem fidem adhibeant. Haud exiguus defectus est adscribere gravi Theolog erroneam doctrinam. Ne in hunc ego errorem incidam, omnem adhibeo diligentiam; & semper vereor, ne par muneri meo studium respondeat: quare sæpe in antecessum retracto, quod calamo, voluntate mea repugnante excidere posset. Facilis est in factorum narratione lapsus.* (a) Hoc idem confirmat Concina *Tom. II. Appar. ad Theolog. christ.*

(a) Hist. Prob. Diss. 1, c. 5. n. 23.

Christ. pag. 357. ubi hæc in defensionem Cardinalis de Lugo contra Henricum a S. Ignatio scribit. *Inter Philosophistas collocat P. Henricus a S. Ignatio etiam Cardinalem de Lugo, cujus textum affert ex disp. 5. Sec. 5. de incar. sed ut veritati litem, dico integram me legisse citatam sectionem, & nihil invenisse, quod non queat sano in sensu exponi: Lugo siquidem in sensu hypothetico loquitur.*

IX. Celebrem Jesuitam a nota *Philosophismi*, quam eidem affinxerat Henricus a S. Ignatio, Concina vindicat; huic Auctori non esse fidem adhibendam ille inclamat, monetque de hoc lectores; eumdem opportune refellit: & tu, mi Noceti, audes hujusce Auctoris excriptorem Concinam evulgare? Nihil reformidas publicum judicium? Cedo. Nonne Paschalis Epistolæ, Vendrochii varia opera, & Henrici a S. Ignatio Ethica amoris proscripta sunt, tamquam Jansenismi lue inquinata? Si hæc opera Concina expilavit, Jansenismi peste Concinæ volumina plena essent. Hoc est consectarium quod necessario manat. Cur ergo Concina Jansenismi non accusastis, cum accusatio hæc adeo vobis pluribus familiaris sit? Expurgavit ne Concina istorum doctrinam ab erroribus? Ergo non excripsit, sed Evangelicam doctrinam errorum expertem docuit. Plurima catholica dogmata, immo omnia, si Jansenismum excipias, docent indicati Auctores, & divina præcepta defendunt. Abjicenda ne propterea sunt? Quæro abs te etiam: cur Episcopi Genneti Theologiam ab omni censura immunem, Paschalis, Vendrochii, Theologiæ Jesuitarum, Henrici a S. Ignatio operibus accensuistis? Eodem ne loco habes Episcopi Genneti Theologiam, ac Epistolas Provinciales, notas Vendrochii, Ethicam amoris, & Theologiam Jesuitarum? Vel ipsis Episcopis insultare non reformidas? Sed argumentum concludamus. Aut tu ostendere, adductis documentis, debes *Theologiam Christianam* ex indicatis fontibus haustam esse: aut illam subire notam adstringeris, cui illi obnoxii sunt, qui falsa crimina honestis viris imponunt.

X. Mutuum sincerumque colloquium instituamus. Quænam est, mi Noceti, Theologia Moralis, quam amplecti tuta conscientia in Animarum regimine pœnitentiæ administri valent? Theologia Probabilistica? Hæc *modum opinandi* continet, qui per universum corpus serpit, & grassatur, *quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela*, ut testatur Summus Pontifex Alexander VII., & universa Ecclesia Gallicana latius declaravit: & reipsa, ut nobis videtur, Theologia Probabilistica Sanchezii, Caramuelis, Dianæ, Tamburini, Castropalai, Leandri, Bonacinæ, La-Croix, Vivæ, Candidi, Zanardi, & aliorum scatet opinionibus laxis. Contra Theologia Merbesii, Natalis ab Alexandro, Genneti, Antoine nullam continet doctrinam justo rigidiorem. Quod si tu inficiaris, urgeo, ut designes in his Auctoribus aliquam sententiam censura dignam. Conatus omnes exeruit Francolinus, ut rigorismum

D 2 in

in Merbesio, & Genneto designaret, præsertim quod Merbesius exigat caritatem initialem, & Gennetus propositum constans pro vera, & sufficienti dispositione ad Sacramentum Pœnitentiæ. Verum censura Francolini ab omnibus sanioris doctrinæ Theologis improbatur. Tu acutior Francolino designa aut rigorismum, aut laxismum in quatuor recensitis Auctoribus. Hunc numquam designabis. Nihilosecius veluti ex asse heres effugii, quo majores tui usisunt, quælibet tibi Theologia antiprobabilistica, *Rigorismum*, & *Jansenismum* practicum redolet. Nulla itaque Theologia patet, qua animarum Rectores uti tuto queant. Non probabilistica, quia reipsa opinionibus laxis redundat: non antiprobabilistica secundum vos, quia sævitiam præfert. Nulla ergo tuta Theologia in manibus Parochorum adest? Paschalis a *Molinæo Calvinista*, *a Paschali Jansenista* Merbesibus, Gennetus, Synnichius, Concina sua hauserunt opera. Et huc tandem conatus, & studia vestra recidere videntur, ut nulla Theologia sanam Evangelii doctrinam contineat. Nam, ut illi Theologiæ, quæ Evangelio conformior est, invidiam extremam confletis, notam Rigorismi, & Jansenismi eidem appingitis, eamquem ab Hereticis suam trahere originem affirmatis.

XI. Hæc sunt rationum momenta, quæ me cogunt, ut te P. Nocetium provocem, ut, documentis allatis, evincas Theologiam Christianam exscriptam esse ex Epistolis Provincialibus, Theologia Morali Jesuitarum, Synnichio, Henrico a S. Ignatio. Si hoc non præstas, fons eris apud universam Rempublicam Christianam apertissimæ falsitatis. Neque dicas, Epistolas Provinciales, Artes Jesuiticas, Henricum a S. Ignatio plures Casuistarum laxas opiniones collegisse. Quid enim inferre heinc contendis? Et primo numquid Paschalis, Synnichius, Henricus a S. Ignatio recensent laxas opiniones *Vivæ*, *La-Croixii*, *Mazzottæ*, *Sporerii*, *Leandri*, *Salmanticensium*, *Lacruzii*, sicut eas collegit Concina? Præterea numquid opera Tamburini, Escobarii, Castropalai, Amici, Sanchezii, Dianæ, Caramuelis, Baunii, æque Concinæ obvia non sunt ac Paschali aliisque? Sunt ne opera Casuistarum, veluti rarissimi Codices in archivis absconditi? An nos Itali, non secus ac transalpini, legere, intelligere, & deprehendere laxas Casuistarum opiniones non valemus? Immo Itali primi fuere, qui ante Sancyranum, ceterosque transalpinos bellum Probabilismo, & relaxatæ Morali indixere. Quid ergo inaniter obtrudis, aliquas laxas opiniones Gobati, Tamburini, Escobarii, aliorumque a Paschali, ab Henrico a S. Ignatio recenseri? Ad hoc iam responsum est. Nunc addo, te hinc colligere hoc potius debere: quæ a pluribus testibus asseruntur, communiter vera esse. Verum ut ut res hæc se habeat, Fodina Casuistica adeo vasta, adeo fecunda est, ut quisque inde eruere amplam laxitatis copiam queat, quin egeat ministerio vel Paschalis, vel Henrici a S. Ignatio, aut Vendrochii. Quid, quod Concina numerum non duplo, non tri-

triplo, sed quadruplo, & amplius majorem laxarum opinionum collegit quam citati Auctores? Ergo injuria summa illum criminaris.

XII. Dicturus forte eris ab Gennetum, Merbesium, Paschalem, Vendrochium, Henricum & S. Ignatio doctrinas plures defendere non diversas ab eis, quas Concina propugnat? Bene habet. Debebat ne propterea, si veræ sunt, Concina illas respuere? Decalogum, Symbolum, Trinitatem, Incarnationem defendunt Luterani, Calviniani, aliique Hæretici; repudiandæ ne propterea ejusmodi veritates sunt? Vel ipsi doctiores Philosophi ethnici plures opiniones laxas improbant, quas non pauci Casuistæ defendunt. Ideo ne prætermittere nos veras doctrinas debemus, quia eædem vel a Paganis, vel ab Hæreticis propugnantur? Eadem est Patrum omnium de moribus doctrina. Propterea ne mutuo se transcripserunt Patres? Ut saniori, & Evangelio propinquiori Theologiæ invidia creetur, ab Hæreticis illam proficisci evulgatur. Quemadmodum Julianus Pelagianus Manichæismi postulabat Catholicos, ut testatur S. Augustinus (a); ita Probabilistæ non pauci *Jansenismi*, & *Rigorismi* accusant, & excriptores Jansenistarum evulgant Sanioris Theologiæ, quam rigidissimam appellant, vindices. Verum difamatio hæc nimium dedecet honestatem, & exsibilanda potius, quam confutanda est.

XIII. Ceterum sub huiusce Epistolæ finem ineluctabili argumentatione extrinsecus arcessita te, mi Noceti, stringere volo. Si Concina fidem adhibuisset quibuscumque auctoribus in excribendis opinionibus, quæ recensentur in suis Catalogis, nisi fontes adiisset, duplicis stultitiæ reus fuisset. Et primo insanum se perhibuisset, si libros Casuisticos obvios, & laxarum opinionum plenos, legere neglexisset. Quis est, qui suam, absque ullo gravi incommodo, prodigere famam velit? Nemo nisi aperte insanus. Præterea ignorabat ne Concina quæ sint inclitæ Societatis vires, quæ illius potentia, & quas clientelas habeat? Ignorabat ne quanto studio, quanto virium conatu Societas hæc gloriam, & famam ab integro & amplius sæculo suorum Auctorum propugnare, & qua justitia severa animadvertere, si velit, in suos adversarios queat? Ex altera parte Concina homuncio, solus, humanis subsidiis omnino destitutus, & hostium legionibus circumdatus bellum calumniis, & imposturis peragendum tam insigni Religioni intentasset? Quid, quod in ipso certamine talia expertus Concina est, qui nisi clypeo, & armatura veritatis instructus fuisset, in primis velitationibus extinctus periisset? Se vidit libellis famosis, ceu impudentissimum sycophantam traductum, desertumque ab omnibus. Hæc omnia & ante certamen, & in ipsa pugna comperta Concinæ fuere. Stultissimus ergo

(a) Lib. I. cont. Jul cap. 1.

go iste fuisset, si falsitate, & imposturis potentissimos hostes aggressus fuisset. Numquid quindecim annorum intervallo bellum continuum intrepido animo sustinuisset veritate destitutus? Numquid Societas adeo potens, adeo sapiens in tam longo intervallo non debellasset homunculum calumniatorem, & impostorem? Credat Judæus appella. Concina adversus hos formidandos, atque potentissimos adversarios intrepide dimicat, quin vel tantillum animos remiserit, sed contra robustior, atque valentior evasit. Ergo invictissimo veritatis clypeo obarmatus pugnat. Ergo ab ipso stant justitia, veritas, & æquitas. Si his spoliatus armis manus vobiscum conseruisset Daniel, non secus ac pulvis, quæ ab impetu venti agitata per aerem distrahitur, illo discerptus in partes dispeniisset. In quæstionibus facti, mendacia, & imposturæ protinus se produnt. Igitur etsi aliæ causæ ad veritatem inveniendam Concinam non impellerent, ex sola virium suarum, & Societatis diversitate incredili, intelligeret, quanta vigilantia diligentia, & dexteritate illi opus sit, ut laxas valeat oppugnare Casuistarum vestrorum opiniones, quin potentiam vestram nihil penitus reformidet. Unum sub istius Epistolæ finem addam nempe te, mi Noceti, imitatum omnino esse tuos quinque Socios, Casuistarum Societatis Apologistas, *Pirotum*, *Danielem*, *Mojam*, *Honoratum Fabri*, *Raynaudum*, omnes proscriptos. Et sane si liber tuus ad Tribunal deferatur, non meliorem, ut ego quidem arbitror, experietur sortem. Vale.



ERI-

EPISTOLA IV.

AD

P. CAROLUM NOCETIUM

SOC. JESU.

ARGUMENTUM.

Theologia Probabilistica inventa est a Patribus Dominicanis præter propter post celebratum Concilium Tridentinum. Theologia Probabilistica viget in certis quibusdam terrarum Orbis partibus, in certis aliis viget potius Theologia Probabilioristica. Utrum abundantior peccatorum torrens inundaverit Christianismum post Concilium Tridentinum an ante: utrum abundatior peccatorum torrens eas regiones inundet ubi viget Probabilismus, an alias, ubi viget Probabiliorismus judicabunt alii, qui in rebus facti multo magis quam ego, versati sunt. Unum ego dicam, quod a peritis, & fide dignis audivi: Peccata quorum torrens Christianismum inundat non ea esse, de quibus hinc inde a Catholicis Theologis disputatur utrum peccata sint; sed ea quæ Rigoristæ, Benignistæ, Probabilioristæ, Probabilistæ, Docti, Indocti, Senes, Pueri, Mares, Feminæ evidentissime norunt, & concedunt esse peccata. P. Nocetius Verit. Vind. cap. *LXII.* pag. 147.

I. ARgumentum hoc tribuo in paragraphos plures, quod gravia, & scitu dignissima puncta contineat. Frequentissime, mi Pater, in hoc tuo libro opponis Concinam invidiam conflasse Theologis Jesuitis, occultatis Dominicanis: passim inclamas: *a Dominicano Magistro didicit Jesuita Discipulus* pag. 67. Iterum repetis eamdem cantilenam pag. 102. *A Dominicanis Magistris Jesuitæ Discipuli didicerunt.* Rursus pag. 169. *En a quibus Magistris (Bannez, & Lopez) didicerunt portenta hæc opinionum Lugo, & Pellizarius. Isti tamen Discipuli opinionem illam temperarunt.* Vix crederent lectores, nisi paginas indicassem, RR.PP. Jesuitas *Fratrum* discipulos sese ostentare. Aliquid arcani cubare hic intelligunt omnes. Illud infra patefaciam.

§. I.

§. I.

Theologia Probabilistica invecta est a Patribus Dominicanis præter propter post celebratum Concilium Tridentinum. Inquit P. Nocetius Jesuita.

II. A *Patribus Dominicanis* invecta est Theologia Probabilistica? Quænam tantæ narrationis monumenta perhibes? Ubi, quando, quibus in Comitiis, in quo Capitulo, in qua Congregatione Patres Dominicani de Theologia Probabilistica docenda, & propugnanda aut Decretum ediderunt, aut mutuo consensu deliberarunt, aut tacite connivere? Edissere. Non ne, inquis, P. Bartholomæus Medina Dominicanus in suis commentariis in Primam Secundæ Partis S. Thomæ primus omnium Probabilismum excogitavit? Negant plures Probabilismi *Subjectivi* Medinam Parentem esse. Sed ipse, ceteris liberalior, concedere hunc Dominicanum volo Probabilismum excogitasse, atque ab altero Dominicano Ludovico Lopez adoptatum eumdem fuisse. Propterea ne, mi Noceti, absolute, & indefinite affingere hanc doctrinam Dominicanis non reformidas? Dic sodes: si quispiam laxitates Tamburini, Sanchezii, Escobarii, Mojæ, *Jesuitis*, aut *Societati Jesu* absolute adscriberet, non ne continuo omnes Jesuitæ jure inclamarent, & cælum terræ miscerent? Quid? Privati hujus, aut alterius Scriptoris errores *universæ Societati* tribuuntur? Invidia omnibus Jesuitis creatur, omnes *Jesuitæ* disfamantur, ob quorumdam Jesuitarum oberrationes. Ut proscriberetur ejusmodi liber, curarent illi. Tu vero, mi Noceti, Dominicanis absolute Probabilismum adscribis, quia octo, vel decem ejusdem Ordinis Scriptores talem docuere doctrinam? Cur hæc mensuræ, & stateræ diversitas tanta?

III. Quid, quod Probabilismus a duobus Dominicanis Medina, & Lopezio traditus, & angustis limitibus circumscriptus a primoribus Societatis Jesu Theologis Valentia, Vasquezio, Sanchezio adoptatus fuit, & sublatis limitibus, dilatatus, atque propagatus? P. Thomas Sanchez Jesuita, ineunte sæculo decimoseptimo Probabilismum in quacumque materia sive Sacramentaria, sive Justitiæ, sive Fidei amplificavit. Ex plurimis unam in transcursu istius Jesuitæ doctrinam dabo. *Dum Infidelis sibi persuasum habet, suam sectam esse probabilem, quamvis contraria sit probabilior, tenetur utique in articulo mortis constitutus veram fidem, quam probabiliorem judicat, amplecti, utpote qui in eo articulo est constitutus, in quo de extrema salute agitur, ac proinde partem quam tutiorem, & probabiliorem judicat, amplecti tenetur. At extra HUNC ARTICULUM NON TENETUR, quod adhuc prudenter existimet, se posse in sua secta perseverare, tempusque rei melius examinandæ superfit. Adde Mysteria fidei tam sublimia esse, ac Christianos mores adeo carnis, & sanguinis legibus repu-*

repugnare , *ut NON quævis MAJOR PROBABILITAS sufficiens reputetur ad inducendam CREDENDI obligationem* . (*a*) Numquid hic *Jesuita discipulus* didicit ab aliquo *Dominicano Magistro* hanç doctrinam, quæ est ultimus veneficus succus Probabilismi, quam Romana Sedes damnavit? Viden', hunc tuum Theologum duplicem excogitasse Theologiam, alteram mortis articulo opportunam, vitæ intervallo consentaneam alteram. Rationem istius duplicis Theologiæ perhibet satis lepidam. Mysteria fidei Christianæ, inquit, *sublimia* valde sunt : mores, quos Evangelia præscribunt , adeo *carnis*, *& sanguinis* (N. B.) *legibus repugnant*, *ut non quævis major probabilitas sufficiens reputetur ad inducendam credendi obligationem* . In sua ergo minori probabilitate tranquille derelinquendi Pagani, & Sectarii omnes sunt, dum corporis sanitate fruuntur, ut carni , sanguini , & voluptati, quibus nimium infesti sunt Christiani mores, indulgere queant. Ceterum in mortis articulo, cum tempus amplius non sit deliciis carnis vacandi, *major probabilitas* inducit obligationem, veram Religionem carni , & sanguini infestam suscipiendi. Quid tibi , mi Noceti, de hac duplici Theologia videtur? Quid respondes? Quid boni sperari a Theologis, qui talia paradoxa docent, potest? Et tu similium Theologorum persuadere lectionem Confessariis audes? Non te terret, non te deprimit hoc inventum? Vitæ tempore Theologia Probabilistica, seu minus probabilis , quæ carni, & sanguini conformis sit? Mortis vero articulo Theologia *Probabilior* , severiorque, quia tunc tempus voluptatis transiit? Oro te, mi Noceti, obtestorque, ut alta recogitare mente velis inauditum hoc duplicis Theologiæ genus, quia plurima, quæ dicere ipse possem, alto præterire silentio decrevi. Sanchezii, Vasquezii, Valentiæ , aliorumque Societatis Theologorum auctoritate munitus Probabilismus universas fere Casuistarum Scholas invasit. P. Mutius Vitelleschi Inclitæ Societatis Præpositus Generalis, ut ejusdem cursum in sua Religione abrumperet, hanc anno 1617. Epistolam ad Superiores scripsit. *Nonnullorum ex Societate Sententiæ in rebus præsertim ad mores spectantibus*, *plus nimio liberæ*, *non modo periculum est ne ipsam evertant*, *sed NE ECCLESIÆ ETIAM DEI UNIVERSÆ insignia afferant detrimenta* . *Omni itaque studio perficiant* , *ut qui docent*, *scribuntve* , *minime hac regula*, *& norma in delectu sententiarum utantur : Tueri quis potest*, *Probabilis est*, *Auctore non caret*. Non modo præclarissimus iste Generalis Præpositus nihil profecit, sed post hanc Epistolam , Jesuitæ præ ceteris Probabilismum propagarunt . Vix Dominicanum unum reperio , qui extra Hispaniam , hoc Probabilismi commentum ex instituto docuerit. Contra Casuistæ Jesuitæ per universam ferme Europam eumdem evulgarunt, aut

E repa-

(*a*) Lib. 2. in Decal. c. 1. n. 6. pag. 87.

reparanmt, nempe *Filliucius*, & *Baldellus* in Italia : *Laymanus*, & *Gobatus* in Germania : *Reginaldus*, & *Baunius* in Gallia : *Lessius*, & *Conink* in Belgio : *Fagundez* in Lusitania . Sed ne videar Jesuitis invidiam conflare, transcribam ipsius *P. Antonii Escobarii* Celebris Jesuitæ verba. Edidit ille Summam XXIV. Doctorum ex Societate, qui pro Probabilismo strenue dimicant, & contrarias doctrinas propugnant. Hanc Summam XXIV. Seniorum comparat P. Escobarius quinto capiti libri Apocalypseos, inquiens: „Joannes videns Apocalypseos cap. v. methodum meo operi indulget, ut „ Theologiæ Moralis tractatio positivæ sapiat interpretem. Agnus JESUS „ Theologiæ moralis librum obsignatum ostentat. Septem Sigillis, leges, „ peccata, Justitiæ, Censuræ, Virtutes, Status, ac Sacramenta occludun- „ tur : quæ quatuor animantibus Bovi fortissimo agri versatori *Suario* : „ volanti Aquilæ *Vasquez*; prudenti juris Homini *Molinæ* ; ac Leoni ad- „ versus Hæreses rugienti *Valentiæ* reseravit . Consident Lectores *viginti* „ *quatuor Jesuitæ Seniores* quidem, non ætate solum, sed scientia, videlicet „ *Sanctius*, *Azorius*, *Toletus*, *Henriquez* , *Lessius*, *Rebellus*, *Conink*, *Avila*, „ *Reginaldus*, *Filliucius* , *Salas*, *Hurtado de Mendoza*, *Gaspar Hurtado*, *Lay-* „ *manus*, *uterque Lugo Franciscus*, & *Joannes sanguine*, & *sapientia germa-* „ *ni*. *Hunc virtutes*, & *sapientia ad Sacræ Romanæ Ecclesiæ Principatum e-* „ *vexerunt*. *Becanus*, *Fagundez*, *Granados*, *Castropalaus*, *Gordonius*, *Baldel-* „ *lus*, *Sà*, *ac Meratius*. Legunt & *Præpositus Grethserus*, *Turrianus*, *Pola-* „ *nus*, *Busæus*, *Fernandez de Cordova*, & alii &c." Summa hæc Escobariana tanto plausu excepta a Probabilistis est, ut intra paucos annos quadragesies edita fuerit. Quoniam in qualibet re probabiliter controversa Christiani alios Seniores Jesuitas habent probantes hanc actionem esse honestam, & simul habent alios Seniores Jesuitas eamdem omnino actionem, ut inhonestam reprobantes. Evidentiorem Pyrhonismum, ut mihi videtur, desiderare nemo potest.

IV. Sacer Prædicatorum Ordo, ex variis, dissitisque Orbis Terrarum regionibus, in Comitiis Generalibus Romæ anno 1656. congregatus, ut primum vidit Probabilismi consectaria absurda, & perniciosa, solemne Decretum edidit, quo novus hic opinandi modus ab universa sua Religione exterminaretur, tamquam fermentum veneficum, quod maximam Theologiæ partem controversam adulterat, atque corrumpit. Præterea Summus Pontifex Alexander VII. huic Sacro Ordini significavit, *se tædere novarum opinionum hoc sæculo ad moralem materiam introductarum, quibus Disciplina Evangelica resolvitur, ac conscientiis cum gravi animarum periculo illuditur, maximeque velle a Theologis Ordinis Prædicatorum in Ecclesiæ hoc morbo laborantis remedium opus parari, ex severiori, & tuta S. Thomæ doctrina, qua hæc morum licentia, quæ in dies grassatur, quasi cauterio cohiberetur.* Pontificium Decretum non modo Baronius, Gonettus, aliique Dominica-

ni,

ni, ſed etiam Sapientes Jeſuitæ Elizalde, Gonzalez, Camargo referunt, extollunt. Quæſo te ne graveris audire quæ hac de re ſcribit Celeberrimus Cardinalis AGUIRRE in præfatione ad Concilia Hiſpana. *Sed laudandus eſt, inquit, maxime inter Regulares Clariſſimus Ordo S. Dominici, qui hortatu laudati Alexandri VII. vexillum extulit adverſus Moralem laxam per doctiſſimos alumnos ſuos Joannem Martinez de Prado, Julium Mercorum, Vincentium Baronium, Vincentium Contenſonum, Picinardum, Gonettum, alioſque ſimiles ampliſſimo fructu. Et merito quidem ita ſe geſſit, cum nihil aliud diſcere potuerit ab incomparabili ſuo Magiſtro Doctore Angelico, immo ab Auguſtino, ac ceteris Patribus, quorum germanam mentem circa fidem, ac mores ille divino ingenio, admiranda claritate explanavit, atque in methodum redegit.* Pro eo, quo ego erga Inclitam Societatem tuam amore, & obſequio feror, vellem, mi Noceti, ut, quemadmodum tot Summi Pontifices inſignia & ingentia Jeſuitarum merita datis diplomatis jure commendarunt, extuleruntque; ita in poſterum unus eſſet Pontifex futurus, qui Societatem veſtram celebratiſſimam hoc ſingulari titulo commendaret, quod ſcilicet laxiori Ethicæ doctiſſimi Jeſuitæ, ejuſdem Societatis in Comitiis Generalibus Congregatæ nomine, bellum implacabile denuntiarent, & reipſa gererent. Hoc unum deeſſe ad completam Societatis veſtræ gloriam videtur. At in ſemitam, unde paululum diſceſſi, revertor. Solutis Generalibus Comitiis, Patres Ordinis ad proprios lares remigrantes, tam ſolemne Religionis Dominicanæ Decretum, quam Pontificium mandatum, ac votum, per univerſum fere Orbem evulgarunt. Lege promulgata, Theologi Dominicani Evangelicæ Doctrinæ amore ſuccenſi, continuo, tum e Cathedris, tum e Suggeſtis, qua voce, qua ſcriptis novam Probabiliſmi doctrinam refellere, & penitus labefactare ſatagerunt. Explicatis Vexillis in arenam præ ceteris deſcenderunt *Julius Mercorus, & Piccinardus* in Italia: *Martinez de Prado* in Hiſpania: *Petrus Labat, Vincentius Baronius, Baptiſta Gonettus, Vincentius Contenſonius, Ludovicus Bandellus, Dominicus a S. Dominico* in Galliis. Poſteriores Theologi Dominicani omnes tribus, aut quatuor demptis ab integro fere ſæculo Probabiliſmo bellum denunciarunt implacabile, omni prorſus radice funditus ex hoc Dominicano ſolo avulſa. Dixi ſupra, te injuria ſumma Probabiliſmum a paucis privatis Dominicanis Hiſpanis invectum, & a Jeſuitis per Orbem propagatum adſcripſiſſe Ordini Dominicano, qui numquam tanta laboravit dementia, ut privatorum Fratrum ſuorum errata defenderet. Nunc ultra pergo, & luculentius evinco criminationis tuæ gravitatem. Diſputant Theologi num culpa præſcriptione deleatur? Affirmant omnes. Finge, Probabiliſmum adoptaſſe Dominicanos. Ab integro fere ſæculo ſolemni Decreto eumdem ejurarunt, errore cognito. Cedo. An tu, Probabiliſta cum ſis, negabis integrum præſcriptionis ſæculum ſatis eſſe ad abluendam maculam, quam

ex Probabilismo contraxissent Dominicani? Consule Theologos omnes, sive laxioris, sive severioris Disciplinæ: invenies eos unanimi consensu gravis culpæ reum damnare, qui crimen a sæculo patratum, & a sæculo publica pœnitentia improbatum, proximo exprobrat. Peccares itaque affingendo Dominicanis Probabilismum, etiamsi integer Ordo eumdem docuisset, quod a sæculo integer Ordo illum proscripserit, & longæva præscriptione contractam eluerit maculam. Nunc ipse Judex sede, & sententiam dicito, cujusnam gravitatis sit criminatio tua, qua indefinite Dominicanis vanum Probabilismi commentum adscribis, cum isti numquam Probabilismum adoptaverint, sed illico, deprehensa ejusdem noxia pernicie, publico Decreto exterminarunt.

§. II.

Responsum genuinum, & nitidum a P. Carolo Nocetio Jesuita Theologo enixe imploratur ad id, quod mox proponam.

V. TU, Noceti Pater, veritatis vindicator, passim in tuo libello, ut jam dixi, Concinæ exprobras quod *Jesuitæ Discipuli didicere a Dominicanis Magistris* Probabilismum, & quod *Theologia Probabilistica invecta a Dominicanis* ad Jesuitas immigraverit. Nihil in præsentia dico de hoc inaudito humilitatis portento, quo Jesuitæ se Dominicanorum discipulos ostentant. Quid? Vos Reverendi Patres, Fratres, & quidem Fratres Dominicanos, ut Magistros colitis? Vos Fratrum esse discipulos jactatis? Serio ne hoc dicitis, an irrisorie? Si secundum, causa caditis. Si primum, aliquid sane hic arcani redolet. Nec qui in vivis sunt, nec sera posteritas tantam animi demissionem crederent, nisi in libro tuo, mi Noceti, pluries id legerent. Verum hoc nunc prætermisso, te enixe rogo, ut hisce meis interrogatiunculis germana præbere, & nitida responsa velis. Vos octo, aut decem, plus, minusve, Dominicanos privatos a via veritatis aberrantes, ut Magistros, tum in Probabilismo, tum in ejusdem laxis consectariis sequuti cæco obsequio estis? Tantum apud vos decem Dominicanorum errantium, & laxe de Morali Evangelica scribentium valet auctoritas? Sed cur, amabo vos, integrum Ordinem Dominicanum Probabilismum cum omnibus consectariis suis solemni Decreto ejurantem, atque Pontifice Summo Alexandro VII. animante, & hortante, contra Probabilismum strenue dimicantem, sequuti non estis? Cur his vestigiis non institistis? Pluris ne apud vos fuit decem circiter Probabilistarum Dominicanorum exemplum, quam gravissima universi Ordinis auctoritas, qui Summi Pontificis consilio directus, & voto animatus Probabilisticam Theologiam execratur, atque terra, marique eam exterminare

cum

cum laxis opinionibus inde proficiscentibus satagit studio summo? Simplex ego a te, mi Noceti, expecto responsum. Et interim ultra pergo. Quid quod non modo nonnulli vestrum Inclitæ Societatis vestræ Præpositorum Generalium Vitellefchi, & Gonzalezii Consiliis hoc de argumento non paruerunt, nec universi Prædicatorum Ordinis egregium imitati exemplum sunt, sed præterea ultra omnes limites prætergressi, novum, & quidem periculosiorem *Probabilismum*, nempe *Reflexum* post hæc omnia novissime excogitarunt? Hic *Probabilismus Reflexus* non extrinsecus a Dominicanis prodiit, sed intra Societatis viscera conceptus, natus, educatusque universam Theologiam morum contentiosam penetravit, ut ipsi Sapientissimi Jesuitæ basilice testantur. Hujusce *Probabilismi Reflexi* Parens est *P. Antonius Terillus Jesuita*, qui duas voluntates, seu leges in Deo excogitavit: alteram *directam*, qua peccata vetat, & detestatur; alteram *reflexam*, qua eadem peccata probat, & æterno præmio digna efficit, posita ignorantia invincibili in humana mente. In hoc sistemate error æquat veritatem, & media probabilitate, æque meretur, qui mentitur, ac qui veritatem profert. Adversus hunc novum Probabilismum vehementer invehitur doctissimus Jesuita Camargus. *Hoc*, inquit, *primum portentum est*, *quod nova lex Terilli trudit in mundum*. (*a*) Provocat vos omnes socius vester, ut aliquem Terillo antiquiorem istius *reflexi Probabilismi* inventorem promatis. *Prodat Terillus nobis, aut Recentior alius pro ipso, vel unum saltem Antiquum, aut Modernum clari, aut obscuri nominis Theologum, qui memoratam legem existentem in Deo, non dico expresserit, vel affirmaverit, sed vel leviter quidem aliquando meminerit*. (*b*) Et post plenam Terilli doctrinæ expositionem exclamat Camargus: *Quid possum objicere Benignæ Theologiæ Terilli ultro admittenti peccatum honestum, Deo placens, ut illud etiam præcipiat, aut consulat? Tot, & tanta Terillus miscet absurda, etiam aperte secum pugnantia, ut modernum sustineat Probabilismum*. (*c*) Et paulo ante testatur Camargo: *Horrendum dictu* esse, quod excogitavit *Terillus*. Hunc *Terilli* Probabilismum reflexum, hac lege indirecta, seu consequente Dei munitum, acceptarunt ambabus manibus posteriores Jesuitæ Probabilistæ, *Segneri, Casnedi, La-Croix, Viva*, & alii fere communiter. Nec est quod opponas, inquit P. La-Croixius, absurdum esse Deum dicere: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, qui furati estis, qui mentiti estis*, qui sequuti estis Arium, Lutherum, Calvinum. Respondet enim intrepide. *Absurdum est dicere, quod voluntas mentiendi possit PER SE' loquendo a Deo exigere præmium, Concedo. PER ACCIDENS, si mendacium invincibiliter repræsentetur ut bo-*

(*a*) Lib. 1. contr. 10. ar. 2. §. 1. n. 31. (*b*) loc. cit. (*c*) ibid. a. 3. n. 64.

bonum, & obligatorium; Nego. (*a*) Clarius, & animosius id exprimit Casnedi, inquiens: (*b*) *Ita quoque nullum est absurdum quod Christus Dominus dicat: Veni benedicte accipere Regnum, quia mentitus es invincibiliter, putans me in tali casu praecepisse mendacium.* Sed alia mirabiliora audiamus. Siquidem Tom.2. in dedicatione ad Christum Jesum, hæc scribere non dubitavit, utpote Probabilismi reflexi consectaria legitima: *Cum Magister veritatis sis, adeo humanæ condescendis inscitiæ, ut in Tuo Veritatis Tribunali ERROR inculpatus ipsam COÆQUET VERITATEM. Eum enim non accusas, sed excusas, non plectis, sed PRÆMIARIS, ipsam tuam legem habendo pro non lege, & tuam non legem habendo pro lege; si lex ut non lex, & non lex ut lex invincibiliter proponatur.*

VI. Hæc omnia in solo, non Dominicano, sed probabilistico concepta, sata, & propagata sunt. Quibus constitutis, interrogatiunculas meas instauro. Omnes Jesuitæ Probabilistæ a paucis Dominicanis Probabilismum coercitum, & angustis limitibus circumscriptum, se accepisse jactant; quem Probabilismum ipsi postea propagarunt, amplificarunt, atque novis, & inauditis, ut Jesuita Camargus dicit, paradoxis, & commentis obarmatum ultra omnia confinia dilatarunt. Cur ad conspectum totius Ordinis Prædicatorum, ad Summi Pontificis Alexandri VII. adhortationes, & vota, Probabilismum non ejurastis? Si paucos errantes Dominicanos sequuti tamquam *Discipuli Magistros* estis; cur universum Prædicatorum Ordinem paucorum Dominicanorum aberrationes improbantem, & saniorem Evangelicam doctrinam strenue ex instituto propugnantem non estis imitati? Arcanum hoc reserate. Cur contra post hanc Prædicatorum Epocham, nempe post annum 1656. vehementius pro Probabilismo veluti pro aris, & focis pugnare viribus instauratis prosecuti estis? Cur, ut patrimonium vestrum constituistis, sicuti asserunt P. Claudius La-Croix, P. Fibus, & alii, quod solemni Decreto Dominicani repudiarunt, improbarunt, & æternum ejurarunt? Cur *Jansenismi*, & *Rigorismi* notam post dictam Epocham impingere omnibus illis cœpistis, qui Probabilismum, & inde laxas opiniones manantes una cum Dominicanis oppugnare vehementer, acriterque improbare, atque penitus conterere satagunt? Cur Generalem vestrum præstantissimum *Gonzalez* de solio detrudere, quod Probabilismum evellere e Societate studuerit, tentastis? Cur Elizalde, & Camargo Sapientissimi Jesuitæ adeo male de Societate meriti sunt, propter oppugnationem Probabilismi, ut Camargus ipse testatur non semel ob id ad Inquisitionis Tribunal se delatum fuisse? Cur tanto amoris æstu Probabilismum prosequimini, ut, vel ipsis juvenibus, qui Logicam addiscunt, eumdem scri-

(*a*) Lib. 1. n. 24. (*b*) Tom. 1. disp. 6. sect. 1. §. 3. pag. 192.

scripto dictetis, & animo imprimere conemini? Cur omnes fere Jesuitæ in hanc Theologiam Probabilisticam ab integro Prædicatorum Ordine ejuratam, hortante ipso Pontifice Alexandro VII., qui eam ab Evangelica simplicitate, Patrumque doctrina alienam declaravit, & ab universa Ecclesia Gallicana diris devotam manibus, pedibusque itis? Quamobrem lectores tui, mi Noceti, haudquaquam excipiunt hanc tuam deprecationem, quam cap. 73. pag. 180. iisdem porrigis: *Rogo Lectores, ut commiserationem aliquam adhibeant Jesuitis, si hos Magistros Fumum, & Tabienam Dominicanos secuti sunt: præsertim cum Magistrorum Sententiam temperaverint.* Nullam, crede mihi, adhibere commiserationem volunt Probabilistis, quia contempta universi Prædicatorum Ordinis, & S. Patriarchæ Ignatii, & duorum Præpositorum Generalium auctoritate, adhærescere octo aut decem Dominicanis errantibus obfirmare malunt.

VII. Plurimi, mi Noceti, quorumdam vestrum summopere admirantur dexteritatem, sublimem rei politicæ rationem, & ad omnem eventum constantiam. At ego hocce in negotio, ut tibi candide cor meum aperiam, nihil horum in hac re video. Id forsitan eveniet, quod nimium obtusa sit ingenii mei acies. Sed præter ea, quæ tibi proposui, audias velim alia, quæ nunc adjicio. Quid causæ est, cur natum in Societate Probabilismum inficiamini, & adoptatum fere comuniter a Jesuitis eumdem confiteri minime erubescitis? Quid vobis præsidii affert, quod a Dominicanis mutuati Probabilismum sitis? Illud enim unice discutiendum occurrit, ut alias vobis dictum fuit, num Probabilismus Doctrina vera, an falsa, sana, an venefica sit? Num ad cælum ducat, vel ad infernum impellat? Si primum, cur vos pudet esse veritatis, & sanioris doctrinæ Auctores? Cur in Dominicanos regeritis doctrinam hanc? Ut Dominicanorum Ordo splendidus refulgeat? Hæc vestra adscribendi Dominicanis Magistris hanc Probabilismi doctrinam nimia sollicitudo, & studium argumento prudentibus est vos de istius doctrinæ veritate, & sanitate diffidere. Sic enim ratiocinantur. Si Theologia Probabilistica vera, & sana esset; numquid Jesuitæ plures per universum Orbem clamarent, Dominicanos esse istius veritatis inventores? Tanto ne Dominicanæ gloriæ fervore hi Jesuitæ ardent, ut cum proprii decoris dispendio plaudere Dominicanis velint? Cur itaque in hac controversia continenter clamitatis, Dominicanorum Discipulos esse Jesuitas? Aliquid hic, & quidem præter naturam, arcani est. Quid autem? Cogitatio, & quidem gravis animum subit, ut Jesuitæ Probabilistæ suspectam habeant hanc Probabilismi doctrinam, cujus odium, & invidiam in Dominicanos rejiciunt. Verum enim vero, si hæc Probabilistica doctrina falsa sit, & venefica (si enim vera, & sana non est, falsa, & venefica sit oportet) quid Jesuitis his prodest, quod Dominicani illam docuerint? Qui venenum hominibus propinant, numquid excusare se valent, quod alii

prius

prius illud bibendum præbuerint? Si illorum, qui nos præcesserunt, crimina, nostra honestarent flagitia, nulla in Mundo scelera essent. Alterutrum ergo. Aut Doctrina Probabilistica vera, & sana est: & hac in hypothesi Dominicanorum scuto vobis opus non est, ut illam propugnetis. Aut est falsa, & pestifera; & tunc patrocinium Dominicanorum inutile vobis est. Quin hac in hypothesi, eo est crimen vestrum gravius, quo, repudiato integri Prædicatorum Ordinis exemplo, vos præ ceteris omnibus, Probabilismum & studio, & auctoritate, & Ordinis vestri splendore propagare, ut docti ajunt, & amplificare in dies conamini. His omnibus, Dinellio relicto, respondere prompte debes.

§. III.

Contractus, fœdusque reciprocum Dominicanos inter, & Jesuitas, omni æquivocationis simulatione sublata, ineundum proponitur.

VIII. CEnties, mi Noceti, in tua *Veritata vindicata* Concinæ exprobrasti, quod occultatis Dominicanorum laxis doctrinis, solas Jesuitarum propalaverit. Plura ille reposuit, & primum, quod ex Dominicanis hodie duo tantum Moralistæ Natalis ab Alexandro, & Wigandt communiter legantur. In his autem vix unica opinio laxa occurrit. Adjecit data occasione, Dominicanorum opiniones se confutasse. Præmisit tomo secundo Apparatus Monitum Generalis *Turco*, quo prohibet lectionem operum P. Candidi, licet Sacri Palatii Magistri; subjunxit Medinam, Lopezium, Ledesmam, Mercadum, Lacruzium, Zanardum, Bannesium, Serram, aliosque paucos Scholasticos latitare in Bibliothecis, quorum vix nomina comperta Confessariis sunt. Accedit istos omnes Probabilistas fuisse, & ideo in laxas opiniones lapsos fuisse. In hos scopulos impingant Probabilistæ omnes necessum est. Verum cum fere omnes præfati Dominicani ante Epocham Capituli Generalis an. 1656. sua opera evulgaverint, illos, ceu errantes in morum scientia, rejicit Prædicatorum Ordo. Insuper adjecit Concina Probabilistas Jesuitas paucas Dominicanorum laxas opiniones magnopere auctas, & multiplicatas in populis innumerabilium Casuistarum ministerio disseminasse. Et postremum concludit, ideo opiniones Casuistarum præsertim Societatis, quas laxas reputavit, oppugnasse, quia vos fere soli arma stringitis, & bellum intentatis illis, qui Probabilisticam Theologiam labefactare student. Vos soli pro Doctrina, quam reputatis benignam, conclamatis ad arma, & calamum acuitis, & trahere in partes vestras satagitis plurimos, qui suam extollere, dum vobis adhærent, fortunam sibi blandiuntur. Tu reponis hæc a Vendrochio accepta esse. Catone ne opus est, ut hæc concipiantur? Nil amplius vobis superest, nisi, ut di-

ca-

catis, sanioris doctrinæ defensores bibere, manducare, dormire; spuere a Vendrochio, ab Arnaldo, a Quesnello, a Jansenistis didicisse. Reipublicæ literariæ respectus nihil vos, dum talia scribitis, tangit? Soli ne Jansenistæ ratione præditi? An ignoratis, vos summis laudibus Jansenistas efferre, illo ipso tempore, quo deprimere illos intenditis? Quid enim ad Jansenistarum gloriam magis accedit, quam illos Magistros declarare omnium illorum, qui pro saniori doctrina pugnant? Continenter quippe vos adversariis vestris obtruditis: Hæc *Paschalis*, hæc *Vendrochius*, hæc *Arnaldus*, hæc *Duguetus*, hæc *Jansenistæ* docuere. Hi sunt fontes, unde haustæ Sententiæ istæ sunt. Gaudent, lætantur, triumphant Jansenistæ, dum talia scribi a vobis audiunt. Et nihil vos angit tantum lætitiæ, & exultationis argumentum præbere Jansenistis, ut alios adversarios pungatis?

IX. Verum ego, ut hæc omnia de medio tollam, rationem excogitavi, qua invicem controversiam hanc transigatis reciproco utriusque partis gaudio, & universæ Ecclesiæ commodo. Consilium meum tibi, mi Noceti, tuisque candide aperio. Concina Casuistarum Societatis laxas doctrinas excerpsit, & deridendas lectoribus proposuit. Vos Casuistarum Ordinis Dominicani summa diligentia, & severitate easdem colligite. His laxis doctrinis Dominicanorum, Jesuitarum, Franciscanorum, & quorumcumque Ordinum, simul conquisitis, Dominicani, & Jesuitæ mutuo consensu, & consilio summum adite Pontificem, & enixis precibus implorate, ut omnes istas opiniones sive Dominicanorum, sive Jesuitarum, sive quorumcumque Ordinum anathemate configat, & flammis devoveat. Deinde, datis dextris, viribus, animisque fœderatis, simul certate adversus hostes humani generis. Antequam tamen fœdus hoc utrinque signetur, vos Decreto Solemni evellatis, atque exterminetis oportet, quemadmodum præstiterunt Dominicani, Probabilismum. Quamdiu enim planta hæc radices egerit, tamdiu laxitas, quæ inde necessario proficiscitur, regnet necessum est. Evulso Probabilismo, & actibus retractatis adversus Præpositum Generalem Gonzalezium, ejusque adhærentes, tunc reciprocum fœdus vestrum solemni ritu signabitur, atque uno Divino Spiritu animati meliora, & sanctiora charismata æmulabimini.

X. Quid est Viri Fratres, Patresque, quod retrahere ab hoc ineundo mutuo fœdere nos debeat? An æmulatio prævalendi, & dominandi in Clero? Absit. Heinc enim reprobatio Pharisæorum manavit. An respectus, ne mundus dicat, nos tandem *aperuisse oculos*, *& mutata doctrina*, *veritatem demum agnovisse?* Si hæc intestina ambitio a laxa doctrina exterminanda, mutuoque contrahendo fœdere nos abduceret, actum de utriusque partis salute æterna esset. Quid? Mundo, & omnibus quæ Mundi sunt, nuncium remisimus, atque præter fidem in baptismate datam, novo, & solemni Sacrificio animas nostras Deo immolavimus. Corpora, appetitio-

nes, & concupiscentias nostras jejuniis, vigiliis, laboribus coercere, affli-ctare, atque continuo studio frænare satagimus : & ut hoc assequamur, non precibus, non solicitudini, & gravissimis incommodis ferendis parcimus. Conflictus istos laboriosissimos quotidie sustinemus, incommoda hæc gravissima continenter patimur, ut carnem nostram cum suis concupiscentiis, quibus nihil intimius nobis est, crucifigamus. Et post hæc omnia, adeo infelices erimus, ut ob vanum illud famæ Ordinis, Societatisque Idolum, ob illudentis illius gloriæ, & splendoris simulacrum ineptissimum, animas nostras æternum damnandas exponere velimus? Ut eas salvemus, quæ intra nos sunt, nobisque carissima cruciamus; easdem vero perpetuis tormentis subjiciemus, cur? Ut quæ extra nos sunt, quæ nos, nonnisi longius tangunt, ut denique Communitatis nostræ vanissimam gloriolam, & chimæricam famam sustineamus, & conservemus? An in Mundo reperiri infirmitati nostræ similis posset? Et eo est imbecillitas nostra funestior, quo nos non modo nostras, sed fidelium quoque animas in Orcum detrudimus. Disputant Medici, & Ægroti moriuntur. Controversantur Theologi, & animæ Christi sanguine redemptæ æternum pereunt. Altera enim pars erret necessum est, cum oppositæ doctrinæ veræ esse simul nequeant. Lex autem Divina veritas est. Falsitas, quacumque probabilitatis larva induta, ingredi Cælum nequit. Unica est veritatis via arcta, & angusta, quæ ducit ad vitam, ut Christus Jesus nobis testatur. Heinc est quod S. Paulus his verbis nos alloquatur : *Obsecro autem vos, Fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*. Etiam tunc alii dicebant: *Ego quidem sum Pauli : Ego autem Apollo : Ego vero Cæphæ : Ego autem Christi :* Hos graviter redarguit Paulus inquiens : *Numquid divisus est Christus?* (a) Una est Christi doctrina, una sola vera, una sola, quæ omnem falsitatem execratur : cum Paulo clamat S. Augustinus : *Sumus enim*, inquit, *Christiani, non Petriani, non Pauliani*; atque adeo non Dominicani, non Franciscani, non Ignatiani, quoties Christi doctrina periclitatur : sed singuli proprii Instituti rationibus contemptis, pugnare pro Christi doctrina debemus, & contra Fratres nostros errantes, si opus fuerit, calamum acuere, ut & nostras, & aliorum animas liberare a damnationis periculo valeamus.

XI. En, mi Noceti, apertum consilium meum, en contractum, en fœdus, quod reciproco consensu celebrandum, & publico ritu signandum & tibi, & sociis tuis omnibus, sincero animo, & Universi Ordinis Prædicatorum nomine offero, atque subjicio. Ad hunc ineundum contractum, ad hoc

(a) 1. Cor. c. 1.

hoc reciprocum fœdus celebrandum urget nos propriæ æternæ salutis negotium : urget salus æterna populorum, qui ex contrariis doctrinis nostris æternum periclitantur : urget professio nostra, urget illud, quod pro stemmate habemus, *Major Dei gloria*. Dominicani contractum hunc sincero corde offerunt. Fœdus istud, ut reciproce celebretur, summopere cupiunt, enixe orant, & obsecrant. Si vos contractum hunc rejicitis, si fœdus istud respuitis, si preces, & obsecrationes Dominicanorum contemnitis, universæ Reipublicæ Christianæ denunciatis, vos retinere blandæ & benignæ doctrinæ patrimonium velle. Hanc vestram repulsam, & repudiationem oblati mutui fœderis afflicto, mœstoque animo Dominicani, ut malum quod avertere non possunt, patientur. Illud dumtaxat amaritudinis suæ mœrorem paululum deliniet, quod nihil eorum, quæ ad reciprocam pacem vobiscum firmandam requiruntur, prætermissum ab illis sit. Nec propter hanc recusationem vestram Canes muti erunt, animosque despondebunt; sed contra, instauratis viribus, & novo spiritu roborati, Bellum Domini præliabuntur, ac si tempus ab Apostolo Paulo prædictum advenisset. *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt*. Bellum adversus Probabilismum a sæculo inceptum invicto animo persequentur, Pontificiis adhortationibus animati. Oppositiones, & contradictiones vestræ nec tantillum a proposito illos abducent.

§. IV.

Theologia Probabilistica viget in certis quibusdam terrarum Orbis partibus, in certis aliis viget potius Theologia Probabilioristica. Utrum abundantior peccatorum torrens inundaverit Christianismum, post Concilium Tridentinum, an ante : utrum abundantior peccatorum torrens eas regiones inundet, ubi viget Probabilismus, an alias ubi viget Probabiliorismus : judicabunt alii, qui in rebus facti multo magis quam ego, versati sunt. P. Carolus Nocettus pag. 147.

XII. QUid est, mi Noceti, quod palam loqui non audes? Quid est, quod sub figurarum velamine, quæ dicis, obumbrare satagis? Non detraham dictis tuis figuras, & tropos, sed tectos sermones persequor. Olim quidam veteris Ecclesiæ Doctor, hoc pacto Deum orabat : *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum*. Sed Deus illi reposuit : *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*. Alibi inundat torrens, ut tuis verbis utar, carnalium criminum, fornicationum, adulteriorum. Sed alibi etiam inundat torrens spiritualium flagitiorum, superbiæ, invidiæ, ambitionis, avaritiæ. Hæc secunda pejora primis, quia mentis aciem fugiunt, & virtutis induere larvam consuescunt,

fecurius decipiunt, atque ampliorem parere ruinam adfirmant omnes. Sed ut ut de hoc res fe fe habeat, miffis figuris, quæ aperte prodis, fub examen veniant.

XIII. *Theologia Probabiliftica viget in certis quibufdam terrarum Orbis partibus, in certis aliis viget potius Theologia Probabilioriftica*. Quænam funt, amabo te, iftæ Orbis partes, in quibus viget Probabiliftica Theologia? quænam aliæ, ubi Probabilioriftica Theologia dominatur? Num regiones iftæ Turcarum funt? Num Synenfium? Num Japonenfium? Cur has regiones files? Cur eas patefacere reformidas? Ego me in illa Orbis parte degere fateor, quam peccatorum torrens inundat, & Antiprobabilifmus dominatur; nihilofecius continenter clamo: *Deus propitius efto mihi peccatori*. (*a*) Sed rem ipfam ingrediamur. Pelagiani fola lege extrinfecus illuminante caveri poffe peccata contendebant. Hærefim hanc damnavit Ecclefia. Doctrina Evangelica requiritur ad hominum fanctificationem, fed hæc fola haud fufficit: gratia præterea efficaciffima Dei adfit oportet, quæ culpas deleat, quæ intus fanet vulnera noftra, atque vires roboret, inftauretque. Fieri utique poteft, ut quis veram, fanamque doctrinam defendat, fitque corruptis moribus inquinatus. Quid inde? Propterea ne fana doctrina fuperfluit? In pauca contraho fermonem tuum, qui huc recidit. Sive Theologia Probabiliftica dominetur in Ecclefia Catholica, five Probabilioriftica, nihil omnino confert ad morum five integritatem, five laxitatem. Hoc clarius exponis pag. 284. inquiens: *Quod demum ait P. Concina laxas opiniones ex Probabilifmo, veluti ex fonte, profluere, alias dixi, & aperte iterum dico, SCIOLIS, & imperitis hoc artificio poteft imponere*. Quid fcripfifti, mi Noceti! *Scioli* ergo Patres Gallicani, *& imperiti*, qui in publicis Comitiis anno 1700. celebratis declararunt adducta auctoritate Alexandri VII., & Concilii Generalis Viennenfis, Probabilifmum effe omnium corruptelarum fontem, & caput? *Scioli* ergo, & *imperiti* ne, mi Noceti, Patres Concilii œcumenici Viennenfis, qui Probabiliorem doctrinam amplectendam decrevere? *Scioli* ergo, & *imperiti* Summi Pontifices Alexander VII., & Innocentius XI., qui Probabilifmum alienum ab Evangelica fimplicitate, & Patrum doctrina manifeftarunt; qui plures ejufdem ramos præciderunt, & anathemate confixere? Et tu, mi Noceti, audes iterum repetere pag. 306. *Sæpe diximus PROBABILISMUM nullam cognationem habere, nulloque nexu contineri cum fententiis DIRECTIS, feu laxæ fint, feu non laxæ*. Hæc tua doctriua, mi Noceti, ni fallor ipfe, damnata ab Ecclefia eft. Probabilifmus nullam cognationem habet cum opinionibus laxis, five in adminiftrandis Sacramentis, five in dirimendis juftitiæ contro-

(*a*) Luc. 18.

troversiis! Nullam habet Probabilismus cognationem cum his similibus materiis! Dic sodes, mi Noceti. Sapientior ne tu Patre tuo Thoma Sanchezio Probabilista, qui vi Probabilismi administrari Sacramenta posse docet, juxta opinionem minus probabilem? Sapientior ne tu Patre tuo Leonardo Lessio, qui Judicem ferre sententiam juxta minus probabilem posse defendit, & in favorem amici? Hæ duæ sententiæ ex Probabilismo genitæ sunt, ut doctissimi isti Probabilistæ cum plurimis aliis docent. Sententiæ quæ & cognationem, & consanguinitatem non secus ac filii cum parentibus, cum Probabilismo habent, damnatæ sunt. Ergo damnata est quoque assertio tua, mi Noceti. I nunc, & scribe. *Ad hanc opellam, qualiscumque sit, consueta diverticula, mordaces declamationes, scommata, ultrices Satyras, quas ipse appellat plautinos sales, expecto: responsiones ad rem, responsiones nimirum, quibus superiora Capita percurrendo doceat quodnam sit, in quo modo plus, modo minus a bona fide non defecerit, non expecto.* Quid quod reipsa Probabilistæ Sanchez, Escobarius, Moja, Gobat, Tamburinus, Lessius, Diana, Caramuel, Leander, & centum similes scatent opinionibus laxis, damnatis, & damnandis, ut ego quidem arbitror. Contra Antiprobabilistæ Merbesius, Pontasius, Gennetus, Natalis ab Alexandro, Antoine, & alii similes immunes ab ejusmodi laxitate sunt, & a rigore æquo rigidiore. Provoco te, Noceti Pater, ut aliquas ex his Auctoribus opiniones laxas designes. Ego vero ex Probabilistis tuis sexcentas spondeo. Et nihilominus tanta præfidentia vel in afflictissimis causis loqui Probabilistæ solent? Errare utpote homo Concina potuit: deficere a bona fide non potuit, nisi prius in stultitiam incidisset. Laxæ quippe opiniones plurium Casuistarum adeo sunt obviæ, frequentes, & abundantes, ut dementissimus esset, si habita uberrima laxitatum copia, sanas adulterare, aut detruncare doctrinas tentasset. Verum hæc dicis gratia, & interim expecto, ut tu, nullam cum laxitate Probabilismum habere cognationem evincas. Et ut sublimis ingenii tui facere periculum securius in hac controversia valeas, tibi recordor Probabilismum, licitum defendere usum duplicis opinionis contradictoriæ, quarum, si una vera est, altera falsa sit oportet. Probabilismus sororem habet falsitatem, non secus ac veritatem. Et sororem non habet laxitatem? Urgeo pressius. Probabilismus magis amat minus probabilem, quam probabiliorem doctrinam: Doctrina minus probabilis est minus verisimilis, & magis distat a veritate, quam a falsitate: Probabilismus ergo magis amat falsitatem, quam veritatem. Falsitas, quam amore prosequitur Probabilismus non est rigida, sed blanda, dulcis, consentanea carni, & sanguini. Ergo est falsitas laxa, & morum corruptrix. Ergo Probabilismus non modo cognationem habet, & consanguinitatem cum laxitate, sed est ejusdem parens fecundissimus, ut Pontifices Summi, & Sapientissimi Ecclesiæ Gallicanæ Patres docent.

XIV.

XIV. Antequam huic paragrapho finem impono, quæro abs te, quid significet, *Probabilismum nullo nexu contineri cum sententiis directis?* quia Probabilistæ his voculis tegere sensus suos consuescunt. Probabilismus non conjungitur cum *sententiis directis*, *sive laxæ sint*, *sive non laxæ?* Cur non dixisti, sive veræ sint, sive falsæ? Cur semper Probabilistæ a veritate abstrahunt? Nullum forsitan illis cum veritate commercium? Absit. Cur ergo semper per rigidum, & laxum, per blandum, & durum, quæ lecti proprietates sunt, inquit doctissimus Elizalde Jesuita, non per verum, & falsum, quæ doctrinæ prærogativæ extant, controversias dirimunt? Probabilismus nullam habet cognationem cum *sententiis directis*, sive laxæ sint, sive non sint. Et cum *sententiis reflexis* laxis habet ne consanguinitatem? Sententiæ directæ sunt regulæ Sententiarum reflexarum: ergo si cum istis, etiam cum illis cognationem Probabilismus habet. Verum quo tendat doctrina tua, mi Noceti, mox in sequenti paragrapho clarius explicabo.

§. V.

Unum ego dicam quod a peritis, & fide dignis audivi. Peccata quorum torrens Christianismum inundat, non ea esse de quibus hinc inde a Catholicis Theologis disputatur, utrum peccata sint; sed ea quæ Rigoristæ, Benignistæ, Probabilioristæ, Probabilistæ, Docti, Indocti, Senes, Pueri, Mares, Feminæ evidentissime norunt, & concedunt esse peccata. P. Carolus Nocetius pag. 147.

XV. TEmpus jam est, mi Noceti, ut universæ tuæ doctrinæ, quam in quinque distribui paragraphos, censum plenius exponam, & quo tandem hæc tendat, luculentius patefaciam. Ut mea minima præfert opinio (argumentum ab absurdo in Theologia frequentissimum) eo hæc tua doctrina recidit, ut de medio tollat ipsum Evangelium Jesu Christi. Ecce exaggerationem Concinianam. Quæso te, ut exaggerationibus sublatis, rem tranquillo animo, & pedetentim discutiamus.

XVI. Sensus primus, & obvius doctrinæ tuæ ejusmodi est. Sive doctrinæ rigidæ, sive blandæ, sive veræ, sive falsæ, sive laxæ, sive severæ, vigeant in Ecclesia Catholica, perinde est. Cur? Quia peccata, *quorum torrens Christianismum inundat, non sunt ea, de quibus a Catholicis Theologis disputatur, utrum peccata sint.* Ergo sive doctrinæ Theologorum Catholicorum disputantium falsæ sint, sive veræ, sive laxæ, sive rigidæ, negotium eodem recidit. Quoniam Theologi Catholici non disputant de peccatis, quorum torrens Christianismum inundat: Hæc peccata esse fatentur & Rigoristæ, & Benignistæ: Ergo sive Evangelium vigeat, sive secus, perinde est. Probo con-

consequentiam. Peccata, quorum torrens Christianismum, Ethnicismum, & universum Mundum inundat, sunt fornicationes, adulteria, injustitiæ, sunt peccata concupiscentiæ, & cupiditatis. Habes ne quod opponas? At de his peccatis neque Ethnici, neque Judæi, neque Turcæ disputant: Ergo sicut superfluæ per te sunt doctrinæ, sive veræ, sive falsæ sint, ita superfluum erit Evangelium. Quandoquidem sine Evangelio, peccata, quæ Orbem inundant, omnes, sive Docti, sive Indocti, sive Probabilistæ, sive Probabilioristæ, sive Rigoristæ, sive Benignistæ, sive Mares, sive Feminæ, sive Turcæ, sive Judæi, sive Lutherani, sive Calviniani fatentur esse peccata.

XVII. Tu respondes, mi Noceti, te *a peritis, & fide dignis id audivisse*. Sed cujus rei periti sunt viri isti? Artis amatoriæ, voluptatum, convivandi, conversandi, ludendi, saltandi, tripudiandi? Sint autem in quacumque arte periti, rei certe Christianæ, si talia fantur, periti non sunt. Et ne plus justo sermonem protraham, seductionem, quæ, te non advertente, in hac doctrina continetur, patefacere lubet. Ne commoveare, mi Noceti, quoniam ea est Probabilismi vis, & efficacitas, ut vel sapientiores huc malorum detrudat. Audias tranquillo animo velim sequentem argumentationem.

XVIII. Verum habet, nullam inter Theologos Catholicos haberi disputationem de fornicationibus, de adulteriis, de injustitiis, quæ per universum Orbem grassantur, sicuti ante ipsum Christi adventum, saltem inter cultiores gentes de his peccatis vix disputabatur. Christus nihilominus suum prædicavit Evangelium, ut hunc torrentem exsiccaret. Siquidem universum Mundum docuit, comprimendam esse jejuniis, pœnitentiis carnem, & concupiscentiam, ut Castitas conservetur: contemnendas divitias, honores, ceterasque mundi præstigias, ne justitia lædatur. Docuit vitanda pericula, occasiones promiscuas feminarum, atque sine intermissione orandum, & toto corde, totisque viribus Deum amandum continenter esse: profundaque humilitate divinam gratiam incessanter implorandam. Hæc, & plura alia Evangelium Christi inculcat, suadet, & præcipit. Quæ si ad amussim servarentur, protinus aresceret, & exsiccaretur torrens peccatorum, quæ Christianismum inundant.

XIX. Vis autem scire, mi Noceti, quodnam discrimen Probabilistas inter, & Antiprobabilistas sit? Paucis explicabo. Probabilistæ Doctrinæ Evangelicæ severitatem deliniunt, & tantum non auferunt. Præceptum amandi Deum, quod est universæ Christianæ Religionis fundamentum, alii de medio sustulerunt, alii ejusdem obligationem ad quinquennium, alii ad biennium, alii ad mortis articulum limitant: idemque præstiterunt de aliis virtutibus theologicis. Jejunia, quibus crucifigitur caro, aut sustulere, aut ita extenuarunt, ut irritent potius concupiscentiam, quam doment.

ment. Probabilistæ e publico Suggestu docent posse Christianos hodierna adire Theatra, in quibus mimi, & mimæ causam amoris orant; juvenes, & puellas ducere choreas posse; conversationes promiscuas amasios inter, & amasiunculas permittunt. Probabilistæ hos omnes Christianos ad Sacramenta suscipienda admittunt: & quamquam in eadem frequenter relabantur peccata, eosdem absolvunt, nullo imposito perpetuæ separationis debito. Probabilistæ Nobilibus, & Magnatibus, qui debita solvere negligunt, qui luxum, fastum, & pompas fovent, atque in triumphum deferunt, qui mercenariorum sanguine madent, qui mercatores opprimunt, Sacramenta administrant. Et ecce rivuli quibus inflatur, & tumescit iniquitatis torrens. Hos rivulos exsiccare, & occludere Probabilistæ nolunt, & ideo flagitiorum torrens inundat Christianismum.

XX. Contra Antiprobabilistæ severa Jejunia secundum Ecclesiæ disciplinam, preces, vigilias, præscribunt. Abstinendum a Theatris, a Choreis, a promiscuis conversationibus Virorum, & Mulierum docent, & pœnitentibus suis id in mandatis dant. Succurrendum pauperibus, visitandos ægrotos, & cetera misericordiæ opera implenda inculcant. Verum quia hæc dura, & humanis appetitionibus incommoda sunt, Christiani renuunt ea exequi, & hos Theologos, ut *Rigoristas*, *fanaticos*, & *inhumanos* detestantur: & turmatim adeunt suos Benignos Probabilistas, a quibus Sacramenta recipiunt, quamquam inter mundi illecebras, & præstigias ducant dies suos. Paucis diebus quibusdam devotionibus, & piis operibus dant operam, & totius anni reliquum suis saturandis desideriis impendunt.

XXI. Multa in pauca contraho. Quid ad hæc, mi Noceti? Inficiari ne audebis ideo flagitiorum torrentem inundare Christianismum, quia fideles implere recusant, quæ Christus in suo Evangelio præcipit? Hoc sane non negabis: alioquin assereres Christum non præbere opportuna remedia, quibus flagitia vitentur, & mores ad sanctitatis normam instituantur. Fateare ergo velis, nolis necessum est, ideo torrentem scelerum, fractis aggeribus, usquequaque inundare, quia Christiani vitare pericula, & occasiones peccandi, comprimere pœnitentiæ severitate concupiscentiam, & prava desideria, orare, meditari, se se quotidie exercere in Theologicis Virtutibus, & cetera, quæ Christus Dominus jubet, prætermittere se posse credunt, ita docti a Magistris benignæ Ethicæ sectatoribus. Hæc omnia certa, luculenta, & inconcussa sunt. Ergo a falsis, & laxis doctrinis pendet, quod torrens iste flagitiorum intumescat. Contra si doctrinæ veræ, & severæ, quas Evangelium Christi docet, ubique prædicarentur, & executioni demandandas unanimiter omnes docerent, fortasse decresceret iniquitatis flumen. Ergo retractes doctrinam tuam oportet. Theologia Antiprobabilistica, & Probabilistica invicem hostiliter pugnant. Si una vera est, altera fal-

falsa sit oportet. Falsa Theologia non modo morum honestatem non inducit, sed ipsos honestos mores corrumpit. Falsa itaque, & rejicienda est sententia tua, quæ docet nihil ad morum reformationem, & auferenda peccata referre, sive probabilistica, sive antiprobabilistica Theologia vigeat. Ambæ istæ Theologiæ falsæ, & antievangelicæ esse nequeunt, alioquin nulla esset in Ecclesia Christiana Theologia vera. Ambæ Evangelicæ esse non queunt, cum sint oppositæ, & contradictoriæ. Evangelium autem Christi contrarias, & invicem pugnantes doctrinas non continet. Ergo si una est Evangelica; Antievangelica altera sit, necessum est. *Qui non est mecum, contra me est*. Matt. 12. Ergo evidenter falsum est, quod tu asseris, nihil videlicet referre, quod una præ altera in Christi Ecclesia vigeat. Hæc omnia, mi Noceti, luculenta sunt, & nulli cavillationi obnoxia, atque tuam sententiam penitus labefactant. Utique qui docent Theologiam Antiprobabilisticam, & Evangelicam, abuti eadem possunt & flagitia patrare gravissima. At quid hinc? Defectus hi sunt non doctrinæ, sed Doctorum. Illud autem certum, absque doctrina vera, & Evangelica morum sanctitatem splendere non posse.

XXII. Priusquam huic Epistolæ finem impono, aliud dictum tuum in proposito argumento contentum, expendere clarius volo. *Utrum abundantior peccatorum torrens inundaverit Christianismum post Concilium Tridentinum, an ante*, aliis judicandum relinquis. Scelera ante Tridentinum larva posita incedebant. Concubinatus, Simoniæ, homicidia, & cetera crimina grassabantur; sed crimina esse compertum omnibus erat. Flagitiosi homines a Sacramentis Christi abstinebant, & veluti Antichristiani habebantur. Splendidissimam morum, & Disciplinæ reformationem invexit Sacrosancta Tridentina Synodus, plurimasque abolevit corruptelas. At elapso sæculo decimosexto, continuo amplificari per universam Europam Probabilismus cœpit, & tunc vitia virtutis larvam induere. Amiserunt scelera horrorem suum, & Probabilismi cæmento incrustata domestica, & familiaria evaserunt. Ætate nostra, tremendum, funestumque Isaiæ Oraculum obtinet: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras .... Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes*. (a) Tempus prænunciatum a S. Paulo Apostolo advenit: *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed coacervabunt sibi Magistros PRURIENTES auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*.

XXIII. Duo hic animadvertas serio velim, mi Noceti. Primum. S. Paulus prædixit tempus futurum esse, in quo & Magistri, & Discipuli *sa-*

G *nam*

(a) Cap. 5.

nam doctrinam non sustinebunt . Corrumpi sana doctrina nequit, nisi per contrariam falsitatem. Doctrina enim vera sana quoque est. Falsitas, quæ sanam doctrinam corrumpit, aut est nimiæ severitatis, aut nimiæ laxitatis. Hæc extra disputationem constituta sunt. Alterum quod altius animo tuo insculptum volo, hoc est. S. Paulus non minatur, futuros fore Magistros Rigoristas, Sævos, Missantropos, Crudeles, qui perterrefaciant, qui auribus terrorem, & horrorem ingerant; sed Magistros venturos prædixit Apostolus, qui auribus *pruriant*, qui veritate neglecta, fabulas, ideſt humana commenta, evulgent, & opiniones hominum, & feminarum desideriis, & appetitionibus consentaneas propugnent, & in animarum regimine adhibeant. Has falsas doctrinas ætate nostra obtinere evinco. A qualitate fructuum dignoscendam plantam Christus ipse docet. Fructus adeo corrupti, atque pestiferi numquam præcedentibus sæculis visi fuere. Cedo mi Noceti. Impietas, quæ quamlibet de medio aufert Religionem, & est omnium malorum ultimum, & supremum, non ne ætate nostra erecta fronte incedit? Revolvito omnium Christianorum Volumina: percurre singula Religionis nostræ sæcula, numquam invenies, quemadmodum diebus nostris, tot versuta commenta adversus Religionem divinitus revelatam. Risu, & cachinnis exsibilatur Religio Divina. Hæreses exsaturare non valent amplius hominum concupiscentias. A Catholica Religione ad schismata; a schismate ad hæreses; ab hæresi ad impietatem, seu ad omnium iniquitatum cumulum, & extremum dilapsi prævaricatores sunt. Edisserito. Quandonam tot libri e Christianorum sinu prodiere, qui ex instituto aut omnem Religionem divinitus revelatam impugnarent, aut Religionem proprio cerebro fabricatam promulgarent? Torrens, te fatente, flagitiorum Christianismum inundat: impietatis lues dire grassatur. Religio Sancta derisui habetur; a quatuor angulis in Domo Dei incendium excitatur: & nihilosecius vos Probabilistæ sæculum nostrum *aureum* esse deprædicatis, defenditis, & eos, qui contra asserunt, ut *Rigoristas*, ut *Fanaticos*, ut *Tutioristas* depingitis? At scias oportet, & Scripturas Divinas, & Patres Sanctos uno ore clamare, falsos Doctores dulcia, & placentia polliceri. Contra Christus suos Apostolos instruens ait: *Vos estis sal terræ*, ideſt, exponit S. Joannes Chrysostomus, *non adulantes, neque palpantes, sed aspere, acriterque agentes, sicut sal . . . Illud enim salis est opus, ut molles mordeat, & pungat* (*a*). Testatur Princeps Apostolorum Petrus, futuros Magistros mendaces in Ecclesia nostra esse, non secus ac in Veteri: *Fuerunt Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt Magistri mendaces*. (*b*) Subdit Magistros istos ambitio-

(*a*) Homil. 16. in Matth. c. 6. (*b*) Epist. 2. c. 2.

tionis, avaritiæ æstu abreptos negotiaturos fore salutem nostram: *& in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur*. (a) Infinitus essem, si omnia Scripturarum oracula, quæ huc pertinent, rescribere vellem. Unanimi consensu Patres clamant: *Pseudoprophetæ semper dulcia pollicentur*. Tu contra, mi Noceti, nullos esse Magistros mendaces contendis; nihil referre, quod alterutra Theologia sive vera, sive falsa, sive rigida, sive blanda prævaleat.

XXIV. Si prolixa Epistola hæc fuit, argumentum nimis fecundum quod tu subministrasti, mi Noceti, in causa fuit. Paucis tamen eam concludo. Grassantem impietatem post Concilium Tridentinum inficiari nullo modo vales. Ergo confiteare necessium est post Tridentinum, atque adeo post inventum amplificatumque Probabilismum torrentem flagitiorum, quæ inundant Christianismum, intumescere, despumare, omnesque aggeres prætergressum esse. Consequentiam hanc legitimam, atque ineluctabilem, neque in disputationem adducere potes. Ergo retractanda est doctrina illa tua sepius repetita: *Sciolis, & imperitis connexia laxarum opinionum cum Probabilismo suaderi potest, Doctis non potest*. Hanc tuam doctrinam injuriosam Summis Pontificibus, Ecclesiæ Gallicanæ, & ipsi comuni sensui repugnantem retractes, & detesteris oportet. Has argumentationes, quæ certe nullam solidam excipiunt responsionem, more tuo, appellabis *ultrices satyras, scommata, & acres declamationes*! Sed certus sis, secus ratiocinari Sapientes. Vale.

(a) ibi.

EPISTOLA V.

AD

P. CAROLUM NOCETIUM

SOC. JESU.

ARGUMENTUM.

His ergo causis adductus sum; ut hanc opellam emitterem, suamque innocentiam NOSTRIS Auctoribus falso accusatis assererem.
P. Noccetius in Præfat. pag. 5.

I. NEmo est, mi Noceti, qui non adfirmet, probetque sanctum esse consilium tuum, quo Auctoribus tuis falso, ut tu contendis, accusatis, innocentiam asserere deliberasti. Quid enim sanctius, quam innocentiam a falsis criminibus vindicare? Illud in discrimen vertitur, num falso accusati Auctores tui fuerint, & tu opere exequutus, quod animo intendebas, fueris. Hac ego Epistola demonstrandum, & quidem, nisi me omnia fallunt, evidenter suscipio, & Auctores tuos jure summo accusatos fuisse, & hanc accusationem a temetipso, mi Noceti, evidentissime confirmari. Quid? commoveris forsitan, quod tam aperte asseram, te ipsum obstrictum esse, ut, velis, nolis, confitearis, jure laxarum opinionum postulatos fuisse Auctores tuos? Immo addo, te jam apertissime hoc fassum esse. Nisi id evincam tam luculenter, quin nec hiscere ipse valeas, amittere sponte causam meam velim.

II. Tu, mi Noceti, imitatus Chirurgum illum es, qui singularis infirmi curationem suscipit. Ægrotus vulneribus mortiferis, profundis ulceribus, gangrænis dilaceratus semivivus jacet; tecta tamen sua putrida ulcera, & letalia vulnera fasciolis, & vestibus custodit. Chirurgus, dissimulatis ulceribus, quæ Ægroti vitæ insidiantur, nævos nonnullos, quos in fasciolis, & vestibus deprehendit, auferre satagit. Hunc curationis suæ studium unice confert. Hoc idem tu peregisti. Ex centenis opinionibus laxis, quæ in Catalogis *Theologiæ Christianæ* cuilibet fere Libro præmittuntur, vix undecim carpere infelici conatu ausus es, & istæ omnes, de quibus tu vitil itigas sinceritate summa relatæ sunt, & jure laxitatis accusatæ. Quid de illis dicam, quæ in universo Theologiæ corpore ut laxæ improbantur? His vulne-

neribus mortiferis, & multiplicatis ulceribus prætermissis, & alto silentio tectis, tu mi Noceti, nævos quosdam in disputationem adduxisti, nempe citationes nonnullas, graviorum Theologorum testimonio fultas, verborum indices, argumentationes, & ratiocinia, quæ tibi non arrident. Nihil grave, nihil solidum expiscari in duodecim Christianæ Theologiæ Tomis potuisti, quod objiceres. Quare etiamsi vera essent, quæ opposita a te sunt, non propterea a laxitatis nota immunes essent Auctores tui. Nam laxiores opiniones, quæ in dictis Catalogis, & in universo Theologiæ corpore recensentur, tuo alto silentio publice, & solemniter fassus es sincere relatas, & nulli exceptioni, aut cavillationi esse obnoxias. Non me latet, te in præfatione scribere quæ sequuntur. „ Alias permultas, ut sancte affirmo, paratas apud me, & digestas habeo, quas huc conjiciendas non „ esse duxi propterea quod.. longam habeant, & litigiosam disputationem. Nullus dubito, quin integra duodecim *Christianæ Theologiæ* volumina tibi, & Probabilistis omnibus displiceant. Ex his, quæ hactenus opposuisti, colligere quisque valet, cujus naturæ sint opiniones aliæ, quas digestas tenes. Si ipsas syllabas, particulas, & verborum significatus, & vocum indices repetitis vitilitigationibus opposuisti, quid superesse tibi, nisi quisquilliarum farrago, potest? Si hactenus nihil præter mera aut sophismata, aut vana commenta obtrudere tibi concessum est, quid objicies imposterum nisi, quod *habeat* (ut tu ipse confiteris) *longam, & litigiosam disputationem*? Ex ore tuo te judico.

III. Interim nullam *Theologiæ Christianæ* approbationem tam solemnem, tam authenticam, tam numeris omnibus absolutam expectare, aut desiderare *Concina* potuit, quam tuam hanc, mi Noceti, tuorumque Sociorum censuram. Vix Liber aliquis hactenus tam studiose, & lente, tantaque severitate excussus, atque cribratus fuit, sicut duodecim *Theologiæ Christianæ* volumina discussa a vobis sunt. Illa ad Supremum Tribunal detulistis. Non labori, non industriæ, non arti parcitum fuit, ut anathemate configerentur. Primus iste conatus, & præcipuum studium frustra concidit. Secundum Libri tui evulgandi consilium magis *Theologiæ Christianæ* sinceritatem confirmavit. Quisque nunc inoffenso pede legere opus istud valet, hac P. Noceti & Sociorum censura expensum, atque probatum. Labefactatis enim censuris vestris, omnia, quæ in hoc opere remanent, aurum purum, & vestro publico judicio probatum, confirmatumque est. Nemo imposterum suspicari poterit minus sincere esse recensitas centenas & centenas laxas Casuistarum Societatis opiniones, quas tu, MI NOCETI, tuique Socii severissime expendistis, & nihil vel cavillationis obtrudere potuistis, nihil vel quod antecedat, vel quod subsequatur ad minuendam propositionis laxæ invidiam. Verborum apices vellicare non prætermisistis, & paradoxa inaudita profundo silentio tecta a vobis prætermissa erunt?

IV. Il-

IV. Illud nunc superest ut distinctis paragraphis rescribam propositiones laxas Casuistarum Societatis *in Theologia Christiana* collectas, & contra quas nihil omnino habuistis, quod opponeretis. Quoniam vero sæpe conquereris, mi Noceti, quod in verborum indicibus eadem opinio laxa bis repetita fuerit, compensationem dabo redundantem. Ducentæ & quinquaginta præter propter in solis Catalogis relatæ sunt, præter alias plurimas, quæ in Theologiæ Christianæ corpore continentur. Ex his, ut sæpius jam dixi, vix undecim carpere ausus es. Ceteræ omnes ducentæ triginta & octo, te fatente, & facto confirmante, sinceritate summa rescriptæ sunt. Porro, istæ satis superque evincunt Casuistarum tuorum laxitatem. Verum, ut luculentius hanc Casuistarum, pro quibus tu pugnas, laxitatem patefaciam, alias nunc ducentas & amplius adjicio propositiones laxas quæ nulla indigent *litigiosa disputatione*. Nisi has quadringentas & quadraginta tres opiniones a laxitate purges, vani sunt conatus tui. Ordini, quem in refellendis tuis opinionibus servatus est, inhærebo in rescribendis propositionibus laxis, quas intactas, & supra omnem disputationis aleam constitutas reliquisti. Scias tamen velim, me non ut censorem notare, sed ut privatum Theologum sequentes omnes opiniones, quas descripturus sum, sapientum, & eorum, ad quos attinet, judicio humillime subjicere. Fac ut valeas.

§. I.

Patris Francisci Amici Societ. Jesu propositiones laxæ.

„ N*Egari non potest*, quin saltem honorem, famamque illam, quæ ex „ virtute, & sapientia nascitur, quique verus honor est, juste de„ fendere Clerici, & Religiosi valeant, & *sæpe debeant*, cum hic sit pro„ prius Professionis ipsorum, quam si amittant, maximum bonum amit„ tunt. Nam per hoc redduntur summopere *æstimabiles*, *& conspicui sæculari„ bus, quos sua virtute dirigere, & juvare possunt, quo sublato, nec illos diri„ gere, nec juvare poterunt*. Ergo saltem hunc honorem poterunt Clerici, „ ac Religiosi cum moderamine inculpatæ tutelæ *etiam cum morte invaso„ ris* defendere. Quin interdum lege saltem caritatis videntur ad illum „ defendendum teneri, si ex violatione propriæ famæ integra Religio in„ fametur." *Tom. V. Disput. 36. num. 118. Edit Ant.*

§. II.

P. Roderici Arriagæ Soc. Jesu propositiones laxæ.

I. „ PRobabiliorem censeo secundo sententiam *Molinæ*, quam facile in„ de probo. Nam, ut supra ostensum est, non est veritas per se „ nota Deum existere. Debet ergo &c.. . . . . Ego sane vix dubito, quin „ multi possint inveniri, in quibus, nec per umbram similis excitetur ra„ tiocinatio. Poterunt ergo habere ignorantiam invincibilem Dei. "*Tom.* 1. *Disput.* 2. *Sec.* 3. *nu.* 17. *pag.* 31. *Edit. Lugdunen.* 1669.

2. „ Ultimo objicies. Ergo talis homo ignorans Deum non peccabit „ mortaliter, etiamsi alium occidat, & putet, se malefacere. Nam pecca„ tum mortale definitur communiter: *Est dictum, factum, vel concupitum* „ *contra legem æternam Dei*. Ille autem eam legem ignorat. Ergo non „ peccat, licet noscat, se contra rationem agere. ℟. De hoc egi in materia „ de actibus humanis, ubi proprius est illius locus: *dixique talem non prome-* „ *riturum per illud factum pœnam æternam*, sed temporalem gravem ad mo„ dum quo a Republica sufficienter punitur furtum, quatenus est contra „ illam, vel virgis, vel suspendio. Nam ratio promerendi pœnam æter„ nam, solum desumitur ex eo, quod aliquis homo saltem in confuso no„ scat se offendere Deum summum, quod in id ignorante non reperitur. „ *Nec inconveniens est in tali concedere eam actionem non esse æterna pœna* „ *dignam ex ignorantia illa invincibili.* " *Ibidem. num.* 22.

3. „ Et hoc est valde considerandum in præsenti nos hic agere de igno„ rantia culpabili. *Non est autem omnis ignorantia vincibilis culpabilis*: Ratio „ est, quia multæ sunt res, de quibus mihi occurrit ratio dubii, *non tamen* „ *pecco non ulterius inquirendo, sunt enim res, quarum mea non interest*: & „ de his non teneor amplius inquirere, ut per se patet. Quo posito et„ iamsi aliquod dubium suboriatur in multis barbaris hominibus, an sit „ aliqua causa V.G. quæ produxerit Cælos, non tamen propterea excitatur „ species quod illa sit leg islator, vel veneratione aliqua digna, quod illa „ dederit præcepta, quæ ego debeam inquirere. Immo forte sæpe in con„ trarium ad me talia discutere non pertinet, nec utile est. Sicut si jam „ excitetur dubium in aliquo *quo pacto arbores crescant, non peccat certo* „ *ulterius non inquirendo causam. Unde infertur non esse culpabilis in tali igno-* „ *rantia, etiamsi fuerit vincibilis physice.* " *Ibidem p.* 32. *n.* 21.

Descriptæ sunt hæ opiniones *Tom.* 2. App. ad Theolog. Christian. Nihil opposuit P. Nocetius, sed obmutuit. Ergo sincere relatæ.

§. III.

§. III.

P. Joannis Azorii Soc. Jesu opiniones laxæ.

I. „ POstrema est eorum sententia qui volunt extremo vitæ tempore „ caritatis præceptum suam obligationem inducere. Sic Angelus, „ Tabiensis, Navarrus, Sotus locis supracitatis, & alii. Quorum tamen „ sententiam ea ratio videtur nonnihil posse infringere, infirmare, & e- „ vertere, quod aliquando accidit, ut is, qui vicinus est morti, justus sit „ vir, gratia, & caritate præditus, aut saltem *probabiliter* opinetur, se „ Dei caritatem minime amisisse. " *Tom. 1. Lib. 9. cap. 4. q. 1. columna 849. Edit. Lugdun. anno 1625.*

2. „ Præterea quid, si aliquot ante obitum diebus, fuerit omnia sua pec- „ cata rite confessus, & detestatus? Arbitror sane hosce Auctores solum „ docere voluisse eo tempore esse ex præcepto, & lege actum caritatis „ præstandum, quando quis est letalium criminum conscius.

„ Sed nec hoc omnem ex animo plane dubitationem evellit. Quoniam „ tunc pœnitentiæ præcepto obligamur ad peccata omnia odio habenda, & „ detestanda; quod quia sine actu caritatis in Deum præstare, ut opor- „ tet, non possumus, ideo ad actum caritatis adstringimur, ratione præ- „ cepti pœnitentiæ, *non autem præcise lege caritatis.* " *Ibidem.*

3. „ Nos autem in præsenti quærimus quo tempore præcise præcepto „ caritatis cogamur elicere amorem in Deum. Profecto videtur, ut quæ- „ stionem solvamus, ejusmodi præceptum esse constitutum eo modo, quo „ diximus esse datum, & impositum divinitus Fidei præceptum, & Spei, „ nimirum tamquam remedium ad justificationem impii. Quare iis tempo- „ ribus suam obligationem affert quibus improbum hominem oportet sua „ peccata per veram pœnitentiam odio habere, & detestari, ut obtenta „ venia ad divinam gratiam revocetur. " *Ibidem.*

4. „ An lucrum cessans possit solvi anticipata solutione? Respon- „ detur, ex communi omnium consensu non posse solvi. Sed notandum „ est hoc intelligi sic. V. G. Titius mutuat Cajo centum, & quia con- „ venit inter eos, ut ratione lucri cessantis Cajus solvat Titio quin- „ que, dicitur anticipata solutio, si Titius solum det Cajo nonagintaquin- „ que, & ratione lucri cessantis retineat sibi quinque. Hoc omnino est il- „ licitum, quia est usura manifesta, nam perinde est, ac si mutuet nona- „ gintaquinque, ut postea sibi reddantur centum. " *3. par. Lib. 5. c. 5. quæst. 3. columna 369.*

§. IV.

§. IV.

P. Hermanni Busembaum Soc. Jesu propositiones laxæ.

1. „RUstici, aliique homines simpliciores in Germania, qui hæretici „habentur, & tamen pertinaces non sunt, possunt absolvi a suis „Parochis. Ratio est, quia non sunt Hæretici formales, habentque fidem „catholicam in Baptismo acceptam, quæ non perditur, nisi errando per- „tinaciter." *Lib.2. Cap.4. Dub. 3. n. 5. Edit. Patav. 1708. pag. 48.* Relata est Tom. I. Theolog. Christian. pag. 248.

2. „Hinc quoque si quis injuste lædit famam tuam, nec potes eam „tueri, nec recuperare alia via, quam imminuendo quoque famam illius, „id licet, dummodo falsa non dicas, hoc enim prohibetur ab Innocentio „XI. proposit. 44. inter damnat. intantum quantum ad tuam famam „conservandam necesse est: nec magis lædas, quam lædaris, collata tua, „& alterius persona. Vide Card. de Lugo num. 50." *Lib.3.Tract.6.Cap. 1. „nu.6.pag.271.ejusd.edition.* Relata est Tom. IV.

3. „Remedia conscientiæ scrupulosæ sunt. 1. Scrupulos contemnere, „contra illos agere .... 4. *assuefacere se ad sequendas sententias mitiores „& minus etiam tutas.* Filliucius *Lib.1. Tract.1. Cap. 3. de Conscient.*" *Apud la Croix. numer. 511. Resp. 4. pag. 11. ejusd. edit.* Relata est Tom. 9. Theolog. Christian.

4. „Uerba turpia, lectio obscœnorum, spectatio comœdiarum turpium, „cantiones inhonestæ, gestus, litteræ, & dona amatoria, si tantum fiant ex „curiositate, vel vano solatio, non sunt mortalia: secus tamen si fiant „vel animo inhonesto, sive venereo, vel cum periculo ruinæ spiritualis „sui, vel aliorum. Sanchez de Matr. Lib. 9. Dist. 46. 9. 3. ar. num. 31. „Filliucius Tr.30. cap.10. q.3." *Lib. 3. Tract. 4. Cap. 2. num. 8. pag. 17. apud la Croix n. 887.*

5. „Oscula, amplexus, compressiones manuum, & *similia* non obscœ- „na, si fiant tantum officii, aut amoris patrii, aut amoris honesti, vel „benevolentiæ augendæ causa, etiamsi delectatio venerea suboriatur (mo- „do in eam non consentiatur) non sunt peccata." *ibi n. 3. pag. 169.*

6 „Si vero ista fiant ex aliqua veniali vanitate, joco, curiositate, levi- „tate, petulantia, *immo etiam sensualitate, sive affectu sensuali* ac naturali, „(dummodo non cum delectatione venerea, nec ejus causa, etsi præter in- „tentionem suboriatur, ea repulsa, ac tunc abstinendo ab illis) venialem „culpam non excedunt, ut Filliucius hic. Lessius num. 62. Sanchez lo- „co citato. Diana pag. 4. 4. K 136. Contrarium tamen est tutius." *Ibidem n. 4. pag. 170.*

H Tres

Tres illæ sunt in compensationem.

7. „ Hinc probabile est quod docent Nav. Tolet. & non repugnat „ Layman, seclufo fcandalo, & aliis, veniale tantum esse *usque ad vomi-* „ *tum se cibo, & potu implere:* idque etiam *si quis vomat, ut iterato possit* „ *bibere*; quod tamen V. *comedere*, Sa, aliique multi putant mortale. " *Lib.* V. *cap.* 111. *dub.* 5. n. 2. *pag.* 390. Relata est Tom. X. Theolog. christ.

8. „ Si quis post potum discernere adhuc possit inter bonum & „ malum, licet non nihil phantasia turbata sit, aut *sequatur vomitus*, lin- „ gua titubet, *pedes vacillent*, oculi cernant duplicia, *vel domus gyrari vi-* „ *deatur*, nondum plena est ebrietas, ideoque tantum peccatum veniale, „ quamvis ex gravioribus, *si deliberate sit commissum*. Vide Layman loc. cit. " *Ibidem art.* 2. *n.* 7. *pag.* 393. Relata est Tom. X.

9. „ Si in scamno communicantium recorderis peccati mortalis, quod „ oblitus es confiteri, nec sine nota, aut scandalo gravi possis recedere, ut „ habet Nav. Filliuc. Reginald. Lugo n. 112. & alii, porrigenti autem „ Eucharistiam confiteri non expedit nec decet: *quo casu etiam si ne possis* „ *quidem elicere contritionem*, excusat a peccato Hurtad. loc. citat. immo „ quidam Doctores apud Henriquez *excusant laicum ante confessum etiam* „ *præcisa nota & scandalo* non recedentem, eo quod is dicatur justificatus, „ & probatus per confessionem; quam sententiam probat Tamburinus in „ exped. Commun. cap. 1. §. 8. potestque servire pro scrupulosis. " *Lib. VI. Tract.* 3. *cap.* 11. *dub.* 2. *n.* 6. *pag.* 448.

§. V.

P. Caroli Casnedi Soc. Jesu propositiones laxæ.

1. „ QUare Cella Dei (P. Michael Elizalde Jesuita) concordat cum „ Jansenio, & Bajo in hoc, quod error positivus de honestate obje- „ cti, etsi sit invincibilis, non sit satis ad *honeste*, & *meritorie* operan- „ dum. " *Tom.I. disput.* 5. *sect.* 2. *n.* 129.

2. „ Cum Magister veritatis sis, adeo humanæ condescendis inscitiæ, „ ut in tuo veritatis Tribunali error inculpatus ipsam COÆQUET ve- „ ritatem. " *Tom.II. in Dedic. ad Christum Jesum.*

3. „ Eum enim non accusas, sed excusas, non plectis, sed *præmiaris*, „ ipsam tuam legem habendo pro non lege, si lex ut non lex, & non lex „ ut lex invincibiliter proponatur. " *Ibidem.*

4. „ Do damnari sententiam generalem de licito usu minus tutæ minus „ probabilis. Numquid cohibita erit laxitas opinandi? Numquid Christianorum „ mores reformari? nihil minus. Quin pejus errabitur. " *Tom. II. dis.* 11. *sect.* 6. §. 1. n. 143.

5.

5. „ Quare ego semper ejus sententiæ fui, quod quæstio, quæ hodie „ tanto calore inter Probabilistas, & Probabilioristas agitatur, num liceat „ usus minus tutæ, certo tamen probabilis, sit in ordine ad coercendam „ opinandi libertatem prorsus inutilis. " *Ibidem*.

6. „ Hinc Caramuel, & P. Terillus, quibus *ineptiæ* esset in his præcipue fidem negare, cum inter Jansenistas diu vixerint, eorumque doctrinas apprime noverint, censent opinionem negantem licitum usum opinionis practice probabilis e Jansenii *Ferretro* vitam hausisse. " *Tom. I. disput. 4. in Proam. pag. 94.*

§. VI.

P. Ferdinandi Castropalai Soc. Jesu propositiones laxæ.

1. „ QUinto asserunt alii, instante periculo mortis, etiamsi peccati „ mortalis conscius non sis, immo etiamsi illius conscius sacramentaliter confitearis, te obligatum esse Deum super omnia diligere.... Fateor hanc obligationem esse satis probabilem, & in praxi semper consulendam. At non est omnino certa, si peccati mortalis conscius non es. „ Nam illam rejiciunt Azorius, Sanchez. " *Tract. 6. disp. 1. punct. 4. n. 9. pag. 419. edit. Lugdunen. anno 1682.*

2. „ Septimo alii dicunt obligare hoc præceptum primo, cum martyrium subeundum, vel aliud egregium, difficileque opus aggrediendum, „ quia expedit tunc firmare animum Dei obsequio..... Sed esto convenientiam agnoscam, obligationem improbo, quia nullo fundamento nititur; oratione enim, aliisque virtutum actibus te munire potes. " *Ibidem*.

3. „ Hac ergo obligatione existimo quemlibet adultum teneri, non „ singulis annis, ut placuit Petro de Ledesma, quia hoc est *nimis durum*, & nullo firmo fundamento nititur, sed aliquoties in vita „ .... Reputarem autem dilationem trium annorum esse gravem. " *Ibidem n. 10*

4. „ Nihilominus credo, si cum debita moderatione facias, te posse absque „ peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali „ gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum „ inde secutum. Sic docere videtur Emanuel Sa *Verb. Caritas* in utraque „ editione num. 8. ubi absolute dicit te proximo posse optare malum corporale ad salutem animæ, & mortem ob Reipub. bonum, & hosti tibi „ alioqui valde nocivo, mortem, non odio, sed ad vitandum damnum „ tuum; item de morte ejus gaudere ob bonum inde secutum. Azorius

„ p. p. Summæ lib. 3. cap. 2. quest. 2. & Bonacina disp. 3. quest. 4. „ p. ultimo n. 7. affirmant licere Matri mortem Filiarum optare, eo quod „ ob deformitatem, vel inopiam non possit eas juxta suum desiderium „ nuptui tradere; & idem esse dicunt, si ob illarum causam male tracta- „ retur a Marito, posset illarum mortem optare, ut ab illo damno libera- „ retur. Consentit iis Joannes Sanchez disput. select. n. 9. ubi inquit. Lici- „ tum est optare tibi, vel proximo mortem ob evitandam molestiam, in- „ firmitatem, mendicitatem, vitam pœnalem a Marito inflictam, & alia „ hujus generis, dummodo desideres ut a Deo infligenda, non ab homine „ injuste, vel a Dæmone. Ratio est, quia hujusmodi desiderium, & gau- „ dium de malo proximi non jam est desiderium, & gaudium de malo il- „ lius, quam de bono inde secuturo: ergo non habet malitiam: quia il- „ lam habere non potest, nisi finis illius malus sit, cum tota species actus „ inefficacis ex fine desumatur." *Tract.6. Disput.* 4. *punct.* 1. *n.* 11. *p.* 455. Relatæ hæ sunt Tom. I. Theolog. Christ.

5. „ Conink vero.... credit ob nullum metum licere pingere Idolum, „ vestem Sacerdotalem facere ad petitionem infidelis .... At credo gra- „ vissimo metu excusari posse, si a te non expostulantur fieri in contem- „ ptum Religionis, neque scandalum adsit, te ita contemnere. Nam fabri- „ catio idoli, & concubinæ pictura intrinsece mala non est, sed sæpe ho- „ nestari potest." *Tract.6. punct.*12. *n.*7. *p.*483. Relat. Tom.II. Theolog. Christ.

6. „ Si indifferentia proximiora peccato subministres, & aliam cau- „ sam graviorem honestandi administrationem expostulo, qualis esset, si „ pater torvis oculis te aspiceret, & timeres male tractari: vel si domi- „ nus a domo sua te expelleret, & expulsus cogereris mendicare, vel „ penuriam pati, præcipue cum non ita facile, alium dominum invê- „ nias, qui similia, vel pejora ministeria non petat: *vel si in ejus domo* „ *te sustinet id fit te objurgando, & increpando, vel debita mercede defraudan-* „ *do*. Si enim aliquod *ex iis damnis* tibi provenit, eo quod non ministres „ actiones indifferentes de se, & pravo usui ex malitia domini deservien- „ tes, poteris illa ministrare, quia tunc non censeris peccato illius coope- „ rari, sed potius permittere. Unde licet tibi, tali urgente occasione „ presso, concubinam portare, signare locum domino ubi sit. Item dicere „ concubinæ: Dominus meus dicit, ut illum hac nocte expectes, vel eum „ videas. Item domino ascendere volenti per fenestram ad rem haben- „ dam cum femina, poteris pedem sustinere, scalam apponere, quia sunt „ actiones de se indifferentes, & ita tradit Navarrus." *Tract.* 6. *Disp.* 6. *punct.* 11. *n.* 5. *p.* 481. Relata est Tom. 2. Theolog. Christian.

7. „ Hæc scribere, vel deferre non videntur intrinsece mala, si absit „ a te malus finis. Turpia enim verba scribi possunt, sicuti scribunt Do-

„ cto-

„ ctóres ad ponderandam malitiam illorum, qui ea ex malo fine profe-
„ runt, possuntque scribi, & dici non tamquam ex proprio marte, sed ex
„ alieno : item non serio, sed irrisorie. Ergo scribere hæc verba turpia
„ de se non est intrinsece malum : quia solum sunt turpia, & mala, qua-
„ tenus a pravo animo procedunt, & in pravum finem diriguntur. Ergo
„ secluso hoc animo, & hoc pravo fine, mala non esse videntur : *& a*
„ *fortiori neque erit intrinsece malum scripta illa deferre ad concubinam : poterat*
„ *enim illa deferre, non ut moveatur ad coitum, sed ut illa irrideat, & com-*
„ *burat*. Ergo illa actio deferendi quatenus a te procedit, bono usui de-
„ servire potest : & idem esse videtur de scriptis ad duellum provocanti-
„ bus. Et ideo Emanuel Sa verb. *peccatum* n. 9. excusat famulos has lit-
„ teras amatorias deferentes. . . . hæc sub dubitatione dicta sint." *Tract.*
6. Disp. 6. punct. 11. *n.* 7. *p.* 481. Relata est Tom. II. Theolog. Christian.

8. „ Quid de voto abstinendi a vino ? obligat sub gravi culpa, ne bi-
„ batur in ea quantitate, quæ vino temperate utentibus sufficeret pro una
„ comestione." *Tract.* 15. *Disp.* 1. *punct.* 12. *n.* 21. *p.* 82. Sporer ad hanc
Castropalai opinionem tract. 3. in 2. præcep. Decal. cap. 2. sect. 3. §. 2.
n. 86. inquit: *Certe nimis laxe etiam Germanorum sensu Castropalaus requirit*
eam quantitatem, quæ alicui temperate utenti sufficeret pro uno prandio. Re-
lata est Tom. III. Theolog. Christian.

9. „ Mercatores, qui non possunt justum pretium ab emptoribus ob-
„ tinere, nisi jurent tanti, vel tanti sibi mercem stare, cum de facto non
„ stet, *jurare quidem possunt tanti sibi stare*, subintelligendo, *computatis o-*
„ *mnibus expensis, vel tanti sibi stare cum alia merce, quam habent domi, vel*
„ *alibi emerant*." *Tract.* 14. *Disput. p. p.* 7. *n.* 5. *pag.* 12. Relata est Tom.
III. Theolog. Christ.

10. „ Si enim aliqua causa honesta occultandi veritatem intercedat, qua-
„ lis esset, si ad tuam, tuorumque salutem, honorem, rem familiarem
„ tuendam conveniret occultatio : aut si conveniret, ne annueres interro-
„ ganti injuste, nullam culpam committis sic amphibologice jurans... Quod
„ verum habet, tametsi non rogatus jures, sed te offeras ad jurandum ; si
„ tamen jurandi, occultandique veritatem honesta causa intercedat." *Tom.*
3. *tract.* 14. *Disp.* 1. *punct.* 7. *n.* 4. *p.* 11. Relata est Tom. III. Theolog.
Christian.

11. „ Primo rogatus de delicto, quod saltem sub opinione probabili non
„ teneris manifestare, vel ex eo, quod non juridice rogaris, vel ex eo
„ quod tibi grave nocumentum ex manifestatione provenit ; negare pote-
„ ris fecisse, subintelligendo in carcere, vel ad dicendum." *Idem ibidem*
Relata est Tom. III. Theolog. Christian.

12. „ Quarto Rogatus an promiseris matrimonium, a cujus obligatione
„ *secundum opinionem probabilem* immunis es, jurare poteris non promisisse
„ sub-

„ subintelligendo, ut tenearis." *Ibidem*. Relata est Tom. III. Theolog. Christian.

13. „ Quinto. Exemptus *probabiliter* a Gabellæ solutione, jurare poteris, „ te non portare talem, aut talem rem, *esto portes*, subintelligendo, ita ut „ Gabellam debeas. Quia hic est finis, vel saltem debet esse interrogan- „ tis." *Ibidem*. Relata est Tom. III. Theolog. Christ.

14. „ Pro supradictis est maxime advertendum, utentem aliqua ex dictis „ amphibologiis debere scire, saltem in genere se posse absque mendacio „ veritatem tegere. *Non tamen opus est in particulari cognoscere modum, quo* „ *debet tegi*. Quo circa si intendat jurare eo sensu, quo vir doctus verum „ reperiet, & sciat verum reperiri posse, sufficiet ad excusationem perjurii." *Ibidem pag.* 12. Relata est Tom. III. Theolog. Christian.

15. „ An sit aliqua causa excusans præbentem munera concubinæ judi- „ cis, ab illaque petentem, ut judicem in negotio interpellet . . . . . Si „ negotium grave sit, videasque judicem non tibi esse propitium, speres „ autem intercessione concubinæ, gratum fore, neque alia via appareat, „ qua possis illum ad servandum tuum jus inflectere: crederem tibi lice- „ re petere a concubina ut in tali negotio intercedat . . . Quod vero me- „ dia illa intercessione concubina, & judex periculo peccandi exponantur, „ non obstat quo minus id licite fieri possit, urgente gravi causa." *Tom.* 1. *Tract.* 6. *Disput.* 6. *punct.* 15. *p.* 484. Relata est Tom. IV. Theolog. Christ.

16. „ Etiamsi rogans omnem æquivocationem vellet excludere, & ultra „ de re facta petat juramentum de calumnia, exigatque juramentum di- „ cendi veritatem sincere absque ulla æquivocatione: adhuc poteris jurare „ amphibologico juramento, & restrictione facta: quia subintelligere potes te „ juraturum absque æquivocatione iujusta. Nulla enim propositio ita am- „ ple sumi potest, quin aliquam restrictionem habere possit in mente." *P.* 3. *Tract.* 14. *disp. p. punct.* 7. *n.* 5. *pag.* 12. Relata est Tom. IV. Theolog. Christian.

17. „ Quarto infertur impedientem a venatione, piscatione, aut segetes „ aliorum injuste comburentem, aut damnificantem, non teneri Ecclesiæ „ restituere decimam partem illarum, quia Ecclesiæ solum debentur deci- „ mæ de fructibus collectis, & perceptis, non de colligendis." *Tract.* 10. *disp. unica punct.* 2. *n.* 9. *p.* 75.

§. VII.

§. VII.

P. Claudii La-Croix Soc. Jesu propositiones laxæ.

„ 1. PRobabilius videtur, quod etiam in Germania sint Hæretici tan„ tum materiales. Inveniuntur enim aliqui ita simplices, vel præ„ venti doctrina suorum Ministrorum, ut firmiter existiment, se non de„ bere dubitare de fide sua: simulque ita sincere procedunt cum Deo in „ conscientia sua, ut si scirent fidem suam esse falsam, statim admitte„ rent nostram. Tales autem non sunt hæretici formales, sed materiales „ tantum. Et tales esse multos testantur Confessarii plurimi in Germania, „ auctoresque experientissimi. " *Lib.2. tract. p.c.4. n. 94. p. 105. edit. Venetæ* 1734. Relata est Tom. I. Theolog. Christian.

„ 2. Si voluisti redimere jacturam temporis, comprehendisti ludum etiam „ moderatum, itemque lusum pro alio: quia vere luderes cum jactura „ temporis. Poteris tamen per alium ludere, licet aspiciendo perdas „ tempus . . . Si eo fine vovisti, ut vitares rixas, blasphemias, juramen„ ta . . . . licebit tibi ludere nomine alieno, vel per alium, immo & „ ludere licebit per alium; licet hæc incommoda timeantur, quia reipsa „ non ludis. " *Lib.3. p. 1. n.454. p.175.* Relata est Tom. III. Theolog. Christian.

„ 3. Non teneris fugere invasorem, si per hoc incurras gravem igno„ miniam. " *Lib.3. p. 1. n.803. p. 207.* Relata est Tom. IV. Theolog. Christian.

„ 4. Taberna . . . dicit puellam non peccare, si ob evidens periculum „ mortis, vel ingentis infamiæ, non adhibeat omnia omnino media ad „ depellendum stupratorem, v. g. si hunc, cum posset, non occidat, si „ non inclamet viciniam, sed mere patiatur coitum, tamen secluso omni „ periculo consensus: & licet hanc propositionem editis Libris teneant „ AA. plures quam 50. . . tamen non expedit eam publice proponere, „ aut defendere, quia apta est causare abusus, præsertim apud rudes. " *Lib. 3. p. 1. n.916. p.219.* Relata est Tom. IV. Theolog. Christian.

„ 5. Si necessitas gravis sit urgens, recte docent Lugo, Lessius &c. . . „ . . privato esse licitum surripere necessaria ad illam sublevandam. " *Lib. 3. p. 1. n.957. p.224.* Relata est Tom. IV. Theolog. Christian.

„ 6. An opinio, quæ dicit satisfieri, si successive audiantur duæ medie„ tates (Missæ) sit adhuc probabilis uti, v.g. si quis ad elevationem u„ nius Missæ veniat in templum, & postea audiat sequentem Missam „ usque ad elevationem tantum . . . Dicendum est opinionem illam ad-

„ huc

„ huc manere probabilem. " *Tom.1. Lib. 3. p. 1. de Obser. Fest. n. 611. p.* 188. Relata est Tom. V. Theolog. Christian.

„ 7. An ille, qui sub Missam per longum tempus confitetur, Missam „ audiat, variæ sunt sententiæ . . . . Alii dubitant . . . . Alii absolute ne- „ gant . . alii absolute affirmant . . . . alii distinguunt . . Omnes hæ sen- „ tentiæ sunt probabiles." *Ibidem n.655.p.191.* Relata est Tom. V. Theolog. Christian.

„ 8. Multi negant propter lucrum notabile posse omitti Missam; adfir- „ mant tamen Azor. Bass. Jord, Tamb. n. 7. Gobat a n. 492. qui etiam „ putat, si sis tenuis fortunæ, te excusari ob lucrum duorum ducatorum, „ si sis vere pauper, unius ducati; quia hoc lucrum respectu illorum est „ notabile, quo non censetur Ecclesia velle eos privari." *Ibidem n. 682. p. 195.* Relata est Tom.V. Theolog. Christian.

„ 9. Si Missam negligas, ut iter agas cum aliquo, qui faciet expensas „ itineris, aut multum sublevabit, excusant te Suar, Dicastil. & alii cum „ Gobat. Immo (secundum aliquos) sola derelictio sociorum itineris vi- „ detur esse causa sufficienter excusans." *Ibidem n. 682. p.195.* Relata est Tom. V. Theolog. Christian.

„ 10. Aurigæ qui per consuetudinem habent jus vehendi aliqua die fe- „ sto, etiam habent jus omittendi Missam, si hac audita vehere non pos- „ sunt . . . . Addunt aliqui, etsi tu posses vecturam omittere sine notabili „ damno, tamen plerosque non posse, & ideo te posse cum illis uti pri- „ vilegio consuetudinis." *Loc.cit. n.684. p. 195.* Relata est Tom. V. Theolog. Christian.

„ 11. An peccet mortaliter, qui die festo mandat sex famulis, ut sin- „ guli una hora laborent. Respondeo, si mandet ut laborent simul, se- „ cluso scandalo, est veniale tantum." *Loc. cit. n. 580. p. 185.* Relata est Tom. V. Theolog. Christian.

„ 12. Excusat item, saltem a gravi peccato parvitas operis, seu tem- „ poris. Unde grave non videtur una hora laborare (die festo) . . . Im- „ mo durum videtur mortalis damnare, si quis duas, aut tres horas im- „ pendat. " *Lib. 3. p. 1.* n.583. *p.186.*

„ 13. Quid dicendum sit in casu quo est speciale præceptum & in loco e „ quo exit, & in loco ad quem venit? ... Plures cum Castropalao dicunt teneri, „ sed Joannes Sanchez, Tamburinus, & Burgaberus probabiliter negant: quia „ in primis non tenentur ratione specialis præcepti in suo territorio ex quo „ exit ... Deinde nec tenetur ratione specialis præcepti in altero territorio, ad „ quod venit: quia non est subditus jurisdictioni horum Superiorum. Ergo „ neutro præcepto tenetur: & consequenter si absit scandalum, poterit „ non jejunare, nec audire Missam, sed indulgere servilibus." *Lib. 1. cap. 2. Dub. 3. n.686. p.68.* Relata est Tom. VI. Theolog, Christ.

„ 14.

14. „ Dicendum est . . . eum non peccare mortaliter, qui in mortali „ formam sacramenti inchoat, dummodo ante expressionem ultimæ partis essentialis sit in statu gratiæ, quid quid in contrarium dicant Aversa, & alii." *Lib.6. p. 1. n.*102. *p.*62. Relata est Tom. VIII. Theolog. Christian.

15. „ Quid præterea notandum sit circa necessitatem, & ceremonias „ Confirmationis? Resp. Fuisse olim præceptum Ecclesiasticum, ut susciperetur confirmatio, colligit Dicastillo hic n. 105. ex variis Conciliis „ & dictis SS. PP. recte autem docet dub. 10. cum communi per desuetudinem nunc desiisse illud præceptum." *Lib. 6. p. 1. dub.* 3. *n.* 395. *p.* 90. Relata est Tom. VIII. Theolog. Christian.

16. „ Docent Suarez, Vasq. Say. Marchant. Nugn. Lugo n. 150. Diana „ p. 2. t. 14. res. 61. Dicastil n. 155. Avvers §. 5. Jo. Sanch. d. 31. n. „ 12. Gob. n. 440. Pelliz. de Regul. T. 6. c. 1. n. 69. Leander n. 385. „ & in hoc conveniunt fere omnes, inquit Moya t. 4. q. 6. §. 1. citans „ valde multos, *quod Sacerdos non teneatur hoc præcepto, si habens copiam* „ *Confessarii non sit confessus ex malitia*: quia licet gravius peccet, tamen „ in præceptis positivis, non valet argumentum a minori ad majus, vel „ ad simile, uti cum Communi Lugo *in Resp. Moral. L.* 4. *Dub.* 47. *n.* 5. „ *Tridentinum* autem tantum loquitur de eo, qui necessitate urgente celebravit sine confessione prævia. Sed si fuerit copia Confessarii, non fuit „ necessitas urgens celebrandi absque confessione prævia. *Ergo nec tunc* „ *tenebitur* ad confitendum quam primum. *Hæc sententia est probabilis.*" *Lib.6. par.1. de Euch. n.* 546. §. 4. *p.*105. Relata est Tom. VIII. Theolog. Christian.

17. „ Pontifices sciunt sententiam, quæ ejusmodi obligationem (attentionis internæ) negat, defendi; & tamen, cum facile possent, non contradicunt. Ergo agnoscunt legem illam non esse certam: ergo nec obligat; *sed libertas nostra est in possessione contra eam.*" *Lib.*4. *n.* 1341. *p.* 486. Relata est Tom. VIII. Theolog. Christian.

18. „ Mors, exustio domus, privatio rationis, motus venereus dicuntur „ effectus peccati : & de illis quæritur, an, & quando secuti sunt, etiam „ sint simul explicandi in confessione: an e contra satis sit dicere: Transfodi, intendens mortem proximi, Incendi domum proximi, Potavi „ prævidens periculum ebrietatis, Locutus sum turpia prævidens motus „ venereos, *tacendo quod omnia ista reipsa secuta sint.*

„ Probabilius videtur non esse obligationem per se loquendo confitendi „ talem effectum peccati. Ita Vasq. Salas, Granad, Lugo, Bonac. &c. . . „ . . Licet effectus fuerit in peccato, veluti in causa prævisus, aut etiam „ intentus, tamen talis effectus proprie dici non potest peccatum, uti probatum est *Lib.* 5. *n.* 33. cum neque in se sit peccatum, neque etiam

„ externe compleat peccatum secundum dicta 943. Ergo non est obligatio „ illum confitendi , quia non est obligatio confitendi aliud quam pecca- „ tum. Nec obstat quod non retractarit causam . Nam sive retractavit , „ sive non, effectus manet suo modo æqualiter imputabilis , non tamquam „ culpa , sed tantum tamquam effectus culpæ præteritæ, uti explicatum „ est *Lib. 5. n.* 42. Et consequenter talis homo satisfaciet dicendo : Proje- „ ci breviarium, prævidens me tanto tempore non posse orare , Porrexi „ proximo venenum intendens ejus mortem : tacendo an horas non ora- „ rit, & an mors sit secuta , nec ne. " *Lib. 6. p. 2. n.* 944. Relata est Tom. IX. Theolog. Christian.

19. „ *An illa , quæ ex consuetudine mortaliter mala , postea inadvertenter* „ *fiunt*, *sint confitenda* ? Resp. *n.*974. si supponamus , quando ista fiunt , „ nullam prorsus adesse advertentiam malitiæ, talia non habebunt ullam „ novam malitiam formalem , uti constat ex dictis *Lib. 5. a n. 16.* & „ consequenter cum ista in se non sint peccata, nec externe compleant „ peccatum aliquod internum, sed tantum sint effectus peccati secundum „ dicta *n.* 944. *non est obligatio*, *ista confitendi*. . . . Quod verum est secun- „ dum multos cum Dicastil. quamvis illa consuetudo non sit retractata." *Lib. 6. p. 2. n. 975. p.206.* Relata est Tom. IX. Theolog. Christian.

20. „ Qui sine ullo desiderio personam *veneree* aspicit, non tenetur di- „ cere (in Confessione) qualis persona fuerit." *Lib. 6. p. 2. n.* 1030. *p* 211. Relata est Tom. IX. Theolog. Christian.

21. „ Qui sine desiderio veneree attigit puellam, secundum Dianam . . „ . . . satisfacit dicendo se toties attigisse turpiter, nihil dicendo de par- „ tibus in quibus attigit, alii *probabiliter* dicunt exprimendum, si partem „ turpem attigerit." *Lib.6. p.2. n.* 1031. *p.*211. Relata est Tom. IX. Theo- log. Christian.

22. „ Qui fornicatus est cum tribus diversis, vel ter cum una, satisfacit „ dicendo, se ter fornicatum, nec tenetur dicere, an fuerit una , an plu- „ res, an fuerint meretrices an aliæ, dummodo non sit cooperatus ad im- „ pediendam generationem. Bonacina, Tamburinus." *Ibidem n.* 1040. *p.* 212. Relata est Tom. IX. Theolog. Christian.

23. „ Probabile est quidem quod oscula , tactus, aspectus, turpiloquia , „ *etiam publice facta in loco sacro*, non habeant rationem sacrilegii; ideo- „ que opus non sit dicere esse ibi facta, uti tenent Sanchez, Avversa, & „ alii cum Diana." *Lib.6. p. 2. n.* 1072. *p.* 214. Relata est Tom. IX. Theolog. Christian.

24. „ Rigoristæ dicunt causam relaxandi disciplinam quoad pœnitentes „ esse refrigescentem caritatem fidelium . *Sed contra est* : nam potius in- „ ter causas fuit. 1. ne confessio ab hæreticis impugnata velut impossibilis , „ per duras pœnitentias magis redderetur odiosa. 2. quia successu tempo-

„ ris,

„ ris, plures fuere Sacerdotes, apud quos frequentarentur confessiones ad „ emendationem utilissimæ, & qui in hoc foro interno aliter mederentur „ peccatis per medicinas benigniores. 3. quia animadversum est *benignas* „ *pœnitentias* plus prodesse, quam rigidas, quod per benignas magis *alli-* „ *cerentur* fideles ad Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ. 4. Quia „ occasione belli sacri contra Turcas *inductus est usus indulgentiarum*, qui „ . . est modus satisfaciendi pro peccatis *utilior, ac certior*, quam *observa-* „ *tio canonum pœnitentialium*. 5. Quia successu temporis instituti sunt Or- „ dines Religiosi, qui sunt status pœnitentium utilissimi. Vide Francolin. „ Cler. Rom. p. 2. Cap. 1. " *Lib. 6. p. 2. n.* 1255. *p.* 232. Relata est Tom. IX. Theolog. Christian.

25. „ Putant *Lamas, & Stoz* ad hoc munus (Confessarii) satis DOCTOS esse „ illos, qui integram *Summam casuum* diligenter legerint, vel attente audierint „ *explicari*. Quod si quis de se ipso dubitet, sistat se examinatoribus ab „ Episcopo vel Superiore constitutis; qui si eum satis scire judicent, pot- „ est acquiescere, & cum fiducia in Deum aggredi functionem, quamvis „ omnium maximam, & gravissimam. Stoz." *Lib.6. pag.2. num.* 1788. *pag.* „ 284. Relata est Tom. IX. Theolog. Christian.

26. „ Recte notat Gobat tract. 7. num. 321. Confessarium debere scire „ sententias plures, quæ vere probabiles sunt circa materias morales, eo „ quod sæpe, ubi non agitur de valore sacramenti, non possit, nec ex- „ pediat pœnitentes dirigere SECUNDUM UNICAM DOCTRINAM." *Ibidem num.* 1791. *pag.* 284. Relata est Tom. IX. Theolog. Christian.

27. „ Gobat num. 10. putat in Germania licitum esse in Monasteriis „ per famulos vendere vinum, & panem, id enim proprie non esse habe- „ re tabernam, aut negotiari, sed sua vendere transeuntibus." *Lib.* 3. *p.* 2. *n.* 1000. *p.* 330. Relata est Tom. X. Theolog. Christian.

28. „ Quamvis prævideatur quod monitio sit profutura, si tamen conjun- „ cta sit cum gravissimo incommodo alterius, v. g. prolium, Confessarius „ non tenetur monere, sed potest permittere eos in bona fide." *Lib.6. p.* 3. „ §. 3. *n.* 541. *p.* 452. Relata est Tom. X. Theolog. Christian.

29. „ Qui probabiliter putat matrimonium esse validum, licite petit de- „ bitum: tum quia est possessio pro illo, tum etiam quia aliquis potest „ hic, uti & alibi, sequi sententiam probabilem... *Additque recte Aversa, et-* „ *iamsi opinio pro invaliditate esset probabilior; & hoc est conforme dictis Lib.* „ 1. *a n.* 268. *de licito usu opinionis probabilis." Lib.6. pag.* 3. *n.* 299. *p.* 387. Relata est Tom. X. Theolog. Christian.

30. „ Si matrimonio, bona fide contracto superveniat dubium de va- „ lore, & post inquisitionem nihil resciri, nec dubium deponi possit; pri- „ ma sententia, quam tenet S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, P. „ Soto, Ledesma, Val. Vasq. Azor. Rebell. Pont. Hurt. Turr. Arr. Aversl.

„ & alii 17. cum Schild. dicit, posse quidem reddere debitum, sed non „ petere, quia ita videtur esse decisum *C. Inquisit....* de Sen. Excom. . . . „ Secunda sententia, quam tenet D. Sot. Veracrux, Vict. Lopez; Suar. „ Con. Laym. Bon. Reg. Less. Lorc. Bress. Lug. Bos, Bardi, Sanch, Dian, „ Dicasti, Terill. Carden. dicit posse etiam petere debitum . . . *Atque* „ *hæc secunda sententia videtur, saltem spectata ratione, esse probabilior.*" *Lib. 6. p. 3. n.* 302. *p.* 387. Relata est Tom. X. Theolog. Christian.

§. VIII.

P. Antonii Escobar Soc. Jesu propositiones laxæ.

1. „ QUod si *sæpe* videar me laxioribus opinionibus adhærescere: id cer- „ te non est definire quod sentio, sed exponere quid sine conscien- „ tiæ læsione docti poterunt, cum eis visum fuerit expedire ad sedandos „ pœnitentium animos, ad praxim adducere." In *Idea Operis, seu summæ in fine. Edit. Lugdun. an. 1659.*

2. „ Rogo an concubitus hic hominis soluti cum muliere soluta possit „ fieri sine peccato mortali? Peccatum quidem est, sed dari posse de eo „ invincibilem ignorantiam, Tannerus 1. 2. quæst. 9. Dub. 1. affirmat, „ quia naturalis commixtio est." *Tract. 1. Exam. 8. Cap. 3. n. 49. p. 140.*

3. „ Scio attactus manuum in Choreis secundum consuetudinem non esse „ illicitos, sicut nec oscula urbanitatis gratia ubi hujusmodi consuetudo „ viget. Rogo num femina agnoscens unum, aut alterum, *non sine honesto* „ geri, teneatur aut osculum, aut manuum contrectationem abnegare? Mi- „ nime, dum proprii consensus periculum abest, quia actio illa indifferens „ accidentaliter deturpatur a complice. Filliucius Tom. 2. lib. 30. cap. 10. n. „ 198." *Ibidem num. 65. pag. 144.*

4. „ Pono opus esse illicitum, sed non in genere luxuriæ, & rogo, an „ inde sequens prævisa pollutio sit peccatum lethale? V. G. peccat quis „ mortaliter in nimio cibo, aut potu, tenetur ne se reum pollutionis se- „ quentis habere? Minime, si præter intentionem accidit. Vasquez." *Ibidem num. 77. pag. 146.*

5. „ Quid si opus illicitum sit in genere luxuriæ, sed leve, V. G. levis „ tactus manus, visio, verba, lectio aliquantulum immodesta? Pollutio in- „ de prævisa, sed non intenta veniale solum peccatum est." *Ibidem nu. 78. pag. 146.*

6. „ Colligo feminam, quæ dum confabulatur cum viro sibi in matri- „ monium jungendo verba amatoria profert, solummodo peccati venialis „ rea, venialiter etiam peccare, si pollutionem patitur absque scandalo, & „ consensus periculo. Sanchez." *Ibidem n. 78. pag. 147.*

7. „ Li-

7. „ Licitane oscula, & tactus inter sponsos de futuro? Hurtado illicita „ asseruit .... Attamen Sanchez D. 46. num. 50. & alii multi affirmant „ licere, si absit pollutionis, & consensus in rem illicitam periculum, quia „ sponsalia tamquam inchoatio matrimonii justificant tactus, & oscula, „ quæ sunt quædam *conjugalis copulæ inchoatio*. Tactus, inquam, qui non sint „ nimium impudici, hi enim semper interdicuntur ob nimiam commotio- „ nem. " *Ibidem pag.* 145. *n.* 74.

8. „ Circa verba quæsierim, an peccaret mortaliter, qui feminam solli- „ citaret sine intentione executionis ob solam ostentationem amoris, si „ sciat certo illam minime ad assensum alliciendam? Peccat plane, quia „ ad scandalum illam affert. Quod si tam effrænatæ libidinis sit, qui sol- „ licitat, tantaque jam infamia circa libidinem laboret, ut nullatenus „ femina ad scandalum afferenda sit, non delinquet mortaliter. " *Ibi- dem n.* 89. *p.* 149.

9. „ Num Bulla Pii V. contra Clericos Sodomitas obliget in foro con- „ scientiæ. Henriquez sentit usu non esse receptam probabiliter, nec in fo- „ ro conscientiæ obligare. " *Ibidem n.* 102. *p.* 151.

10. „ Quonam tempore per se obligat præceptum Caritatis ad Deum? „ Addo ex Filliucio probabile esse non quinquennis singulis rigorose obli- „ gare, sed sapientum arbitrio. " *Tract.* 5. *Exam.* 4. *n.* 8. *p.* 600.

11. „ Clerici Beneficiis Ecclesiasticis fruentis obligationem exprimas ... „ Eorum, quæ post congruam sustentationem superfluunt, probabile est non „ habere dominium, debereque operibus piis impendere sub onere restitu- „ tionis. *Sed probabilius reputo cum Lessio*, & aliis, eorum absolutos domi- „ nos esse, nec obnoxios restitutioni futuros, licet ea profane expen- „ dant, sed tamen gravi crimine illigari. " *Tract.* 5. *Exam.* 5. *numer.* 60. *pag.* 610.

12. „ Unde colligo teneri superflua illa pauperibus erogare, inter quos Tole- „ to auctore *possunt propinqui præferri*, *accipientes quidem plus ceteris*, *etiam in* „ *status incrementum*, non solum juxta qualitatem eorum, sed & juxta dan- „ tis Episcopi, Pontificis, Parochi, qualitatem etiam ex Majoratus aut „ vinculi institutione, modo absit scandalum, & notabilis fugiatur exces- „ sus. " *Ibidem pag.* 611.

13. „ Invasorem quis potest licite occidere? Respondet Molina .... pos- „ se aggressum *per se* intendere mortem aggressoris, quando videt id ne- „ cessarium esse ad illius impetum evadendum. " *Tract.* 1. *Exam.* 7. *Cap.* 3. 3. *num.* 34. *pag.* 117.

14. „ Teneor ne fugere? Non si nobilis, si miles es. " *Ibidem num.* 35. *pag.* 117.

15. „ Licet ne occidere eum, qui non invadit actu, sed decrevit inva- „ dere? Docet Molina Tom. 4. Tr. 3. Disp. 12. n. 2. posse præveniri, quan-

„ do

„ do ex aggreſſionis decreto vita tua periculo maximo capitali eſt obno„ xia. " *Ibidem num.* 36. *pag.* 117.

16. „ Quæſierim quanti valoris debeat eſſe res pro cujus conſervatione „ poſſum furem occidere? Non debet eſſe res parva, niſi, ut defendat „ fur rem parvam velit repetentem invadere, vel res parvi momenti in ſe, „ magna ſit in virtute V.G. lapis medicus, vel tolleretur cum injuria. Leſ„ ſius. " *Ibidem n.* 43. *pag.* 119.

17. „ Regulariter autem Molina Tom. 4. De Juſt. Tract. 3. Diſp. 16. „ num. 7. unum aureum aſſignat. " *Ibidem pag.* 119.

18. „ Aggreditur quis virum nobilem ſeu alapa, ſeu baculo percutere: „ licebit ne ei prius occidere aggreſſorem? Affirmat Leſſius Lib. 2. Cap. „ 9. Dub. 12. num. 77. quia maximum in aliquibus regionibus dedecus eſt „ alapas, vel baculi verbera abſque vindicta relinquere. Limito tamen ſen„ tentiam ad viros nobiles. " *Ibidem n.* 46. *pag.* 119.

19. „ An liceat poſt impactam alapam percutientem inſequi, & interi„ mere? Aliqui negant ... At Leſſius licere exiſtimat *ſpeculative*, ſed in „ praxi non conſulendum ob periculum odii, vindictæ, & exceſſuum pu„ gnarum, & cædium in reipublicæ perniciem. Alii ſecluſis his periculis „ in praxi probabilem, & tutam judicarunt. Henriquez Lib. 14. Cap. 10. „ num. 3. Ratio eſt, quia quamdiu damnum illatum manet in ſuſpenſo, „ ſemper eſt locus defenſioni, ut patet in eo, qui furem inſequitur fugien„ tem ad recuperandum ablatum. Nam quamvis honor non ſit apud per„ cuſſorem, ſicut ablata res apud furem; poteſt tamen non ſecus, ac res „ furtiva recuperari oſtendendo ſigna excellentiæ, & æſtimationem apud „ homines captando. *An non alapa percuſſus cenſetur tamdiu honore priva„ tus, quamdiu adverſarium* non interimit? " *Ibidem n.* 47. *p.* 120.

20. „ Num liceat contumelioſum, ſeu profantem *mentiris* honorato vi„ ro internecare. Negat Azorius? .. At Baldellus Lib. 3. d. 24. num. 24. „ putat licitum eſſe occidere contumelioſum; ſed in caſu, quo aliter ar„ ceri non poteſt, ne detur licentia improbitati optimos viros contu„ meliis afficiendi, quam facta acerbioribus. " *Ibidem numer.* 48. *pag.* 120.

21. „ Licet ne aliquando *Mentiris* jactitare? Aſſerit Petrus Hurtado de „ Mendoza falſum, ſeu verum occultum crimen objicienti poſſe reſpon„ deri: *Mentiris*. At ſi hoc non ſufficit ut adſtantes credant illum eſſe „ mentitum, objici ei poſſe alia vera crimina. " *Ibidem n.* 49. *p.* 120.

22. „ Poteſt ne quis vir nobilis acceptare duellum in nobilitatis defen„ ſionem? Poteſt, ſi ex illius recuſatione honorem, aut munia publica eſ„ ſet amiſurus. " *Ibidem n.* 95. *p.* 130.

23. „ Accuſator injuſtus me calumniis efficit morti addici: licitumne „ eum ad certamen provocare? Ita quidem, ſi non eſt alia via injuſtæ mor-

„ tis

„ tis evadendæ: quia hujusmodi provocatio locum habet inculpatæ tute-„ læ. Nihil enim refert quod accusator, non per se, sed per judicem ag-„ grediatur. Ita Hurtado . . . Addit Sanchez Tom. 1. Lib. 2. quæst. 39. „ num. 7. tali in casu licere accusatorem occulte occidere. " *Ibidem num.* *96. pag.* 130.

24. „ Quando nam hoc præceptum (diligendi Deum) sub mortali obli-„ gat? Cum sit affirmativum, non pro quocumque obligat tempore. Exi-„ stimo itaque solum obligare pro eo tempore in quo homines tenentur „ actui contritionis operam dare. " *Tract.* 1. *Exam.* 2. *Cap.* 2. *numer.* 10. *pag.* 61.

25. „ Dixisti præcepto caritatis teneri nos aliquando Deum actu eli-„ cito diligere: quoties, & quando tenemur? Putat Vasquez 1. 2. Tom. „ 4. quæst. 86. art. 2. sufficere si diligamus in fine vitæ. " *Ibidem Cap.* 4. *n.* 21. *pag.* 63.

26. „ Si tantum hujusmodi æquivocatio *fit in mente*, *nec eam verba ipsa* „ *includant*, probabilis sententia est haud licitum esse jurare. Sed probabi-„ lius illicitum non esse. " *Tract.* 1. *Exam.* 3. *cap.* 4. *n.* 16. *pag.* 69.

27. „ Licet ne aliquem inducere ad jurandum falsum, quod tamen ipse „ juraturus ex ignorantia verum putat? Negat Azor . . . Affirmat autem „ Petrus Hurtado. " *Ibidem Cap.* 7. *n.* 31. *pag.* 73.

28. „ A Judice interrogatus cum juramento, an Franciscum interfece-„ ris? Si illum in propriam defensionem interfecisti, negare potes, subin-„ telligendo de homicidio criminoso. Lessius lib. 2. dub. 9. n. 47. " *Ibi-dem n.* 34. *pag.* 73.

29. „ Si est probabilis opinio quod taxa alicujus rei sit injusta, & pro-„ pterea venditor falsis ponderibus, vel alias injustitiam sibi compensat, „ a judice postea interrogatus potest id totum jurejurando negare subin-„ telligendo se injuste non egisse. Sanchez Tom. 1. Summ. Lib. 3. cap. „ 6. num. 29. " *Ibidem*. *p.* 73.

30. „ Aliqua tibi necessaria bona abscondis; ne a creditore capiantur, „ & cogaris mendicare: potes interrogatus a judice jurare te nulla ab-„ scondita habere, subintelligendo quæ tenearis manifestare. " *Ibidem* *pag* 73.

31. „ Quid si dubito me peccasse cum assensu probabili in utramque „ partem, & sit æque probabilis assensus? Non teneris hujusmodi piaculum „ confiteri, quia cum probabile sit, te non deliquisse, vel jam peccatum „ esse confessum, potes hanc sequi opinionem. Suarius in 3. par. Tom. „ 4. Disp. 22. Sect. 9. n. 6. " *Tract.* 7. *Exam.* 4. *num.* 109. *p.* 784.

32. „ Probabilius si judico, me deliquisse, aut non esse confessum, quid „ geram? Asserit Conink . . confiteri te debere cum dubio, & gradu pro-„ babilitatis, ne te periculo errandi circa Confessionis integritatem expo-

„ nas

„ nas Alii probabiliter affirmant, non teneri, quia potest quis opinionem „ probabilem relicta probabiliori sequi." *Ibidem n.* 110.*p.* 784.

33. „ Consuetudine quis gravatur aut jurandi mendaciter, aut voluntario polluendi? Si ægre ferat, haud ei absolutio differatur, præcipue cum „ non adest spes reversionis ad Confessarium." *Ibidem numer.* 224. *pag.* 802.

34. „ Profecto quoties aliqua adest causa notabilis, qua separatio fieri non potest, voluntaria occasio non erit., & præmissa dispositione, „ & prudentia ad cautionem futuram Confessoris adhibita, absolvi poterit." *Ibidem n.* 227.*p.* 803.

35. „ Quid si affectus sit ingens, labilis pœnitens, exigua spes emendationis? Absolutio differatur. Quod si non omnino emendatus rursum accedat, si tamen Confessarius cognoscat *affectum aliquantulum frigescere, aliquamque abstinentiam adhibitam* &c. sæpius potest eum absolvere." *Ibidem p.* 803.

36. „ Quam immerito aliqui mærore afficiuntur, quod in re morali tot „ *diversæ sententiæ* a Doctoribus exponantur, cum potius solatii materies accrescat! Nam ex opinionum varietate jugum Christi suavius „ deportatur." *n.* 13. *in Præloq. ad Volum. I. Problem: cap.* 3. *p.* 4. *Edit. Lugdun.* 1652.

37 „ Frequenter in problematibus *unius Doctoris* mens sufficit mihi, ut „ opinionem probabilem esse constituam, cujus causam expendo." *Ibidem Cap.* 4. *num.* 25. *pag.* 6.

38. „ Si res pro qua est opinio, ab Auctoribus agitata non sit, nemini potest esse dubium *dictum unius gravis* auctoris pii plane, quem ratione firma video moveri, sufficere ad opinionem probabilem tam sibi, quam aliis costituendam." *Ibidem pag.* 6.

39. „ Ad hæc monuerim problematum titulos primo aspectu, quamdam veluti contradictionem objicere. V. G. *Est, & non est; sufficit, & non* „ *sufficit: potest, & non potest: excusat, & non excusat: infert, & non infert:* hujusmodi contradictionum speciem non facit mea sentiendi inconstantia, „ sed auctorum probabiliter opinantium diversitas. Unde semper propositio illa, quæ contradictionem importare videtur, sic separanda tibi. *Est,* „ *sufficit, potest, excusat, infert* ex aliquorum sententia. *Non est, non sufficit,* „ *non potest, non excusat, non infert* ex aliorum opinione." *Ibidem numer.* 29. *pag.* 7.

Vin' Pyrrhonismum, & Scepticismum luculentiorem? Plurimas alias ex sex Voluminibus horum problematum transcribere laxas opiniones possem, sed brevitatis gratia prætermitto.

§. IX.

§. IX.

P. Vincentii Filliucii Soc. Jesu propositiones laxæ.

1. „ Dico quinto sententiam, quæ censet satis esse dignos eligere ad Benefi- „ cia, quæ non dantur in concursu, esse probabilem ex Triden- „ tino *Sess. VII. Cap.* 3. de Reformat. dicente : *Conferantur dignis*; & uni- „ versali æstimatione in creatione Beneficiariorum, ut Cardinalium, Epi- „ scoporum, Abbatum &c. qui si inter dignos habeantur, laudatur Ele- „ ctor, & Electio : non laudaretur autem communiter, si mala esset, & „ peccatum mortale. " *Tract.* 41. *in Append. cap.* 4. *n.* 181. *pag.* 31. Relata est Tom. X. Theolog. Christian.

2. „ Quando aggressus teneatur fugere, vel non occidere aggressorem ? „ Respondeo, & dico primo : Si aggressus sit persona cui dedecus est fu- „ gere, non tenetur, sed potest consistere, & aggressorem occidere. Talis „ est quilibet nobilis, miles, & similes. " *Tract.* 29. *c.* 3. *n.* 41. *pag.* 285. *Edit. Lugdun.* 1633.

3. „ Si tantum verbis impugnetur alterius honor, *etsi speculative probabi-* „ *lis sit* sententia Petri Navar. . . . licere contumeliosum occidere, quando „ aliter ea injuria repelli nequit, quam *valida ratione confirmat Lessius*; ta- „ men practice non est sequenda. " *Ibidem. n.* 49. *pag.* 285.

4. „ Si factis, connitendo alapam, vel fustem impingeret, probabilis est „ sententia Doctorum dicentium fas esse viro honorato occidere talem in- „ vasorem . " *Ibidem. n.* 50. *pag.* 286.

5. „ Si illata injuria, invasor fugiat, etsi probabile sit speculative posse „ invasorem incontinenti actione repercuti, & in eum cursitando tantum „ verborum, vel vulnerum infligi, quantum putatur necessarium ad hono- „ rem recuperandum : ut Nav. Pet. Nav. Victor, Henriquez, & alii apud „ Less. n. 79. quorum sententiam multis rationibus ipse confirmat : tamen „ pratice verius est non licere. " *Ibidem n.* 51. *pag.* 286.

6. „ Provocans in casu posito ad Duellum est invasor honoris provoca- „ ti . At quando non posset aliter consuli honori, nisi invasorem occiden- „ do, licet utique occidere; ergo &c. Secundo quia invaso fas est invasorem „ occidere, ut honorem tueatur, quando fuga sibi ignominiosa est, ut supra „ diximus. " *Ibidem Cap.* 8. *n.* 145. *pag.* 294. Subdit tamen *n.* 147. *verio-rem esse contrariam* sententiam, sed admisso Probabilismo vanæ sunt ejusmodi additiones.

7. „ An si sola mente amphibologia intelligatur sit licitum juramen- „ tum? . . . Dico secundo probabilius est, quod liceat etiam in tali casu „ jurare. " *Tract.* 25. *Cap.* 11. *n.* 325. & 326. *pag.* 161.

8. „ Dico tertio ejusmodi restrictionem, quæ mente concipitur, non de-
„ bere esse ad libitum, sed proportionatam verbis, & materiæ, de qua a-
„ gitur, ita ut, si verbis exprimeretur efficeret verum sensum, & congruum.
„ Talem esse ait Suarez illam: *non comedi* intelligendo hodie, cum inter-
„ rogans putet alioquin numquam comedisse rem illam." *Ibidem n.* 327. *pag.* 161.

9. „ Item illam, *Petrus non est domi*, cum tamen revera sit: verbum e-
„ nim *est* sumitur a dicente pro comedit; idemque dici potest de aliis si-
„ milibus." *Ibidem pag.* 161.

10. „ Dico secundo locutionem hanc per amphibologiam, & præsertim,
„ cum *restrictio mentalis est*, non esse usurpandam, nisi justa de causa . . .
„ Quale peccatum sit uti amphibologia absque rationabili causa? Respon-
„ deo, & dico primo, probabile esse, quod sit mendacium, atque adeo
„ perjurium si confirmetur juramento . . . Dico secundo probabilius videri
„ rigore non esse mendacium, neque perjurium" *Ibidem n.* 329. 330. 331. *pag.* 161.

11. „ An in articulo mortis ratione dubii probabilis num attritio suffi-
„ ciat cum sacramento, teneatur quis habere contritionem? Respondeo ex
„ vi justitiæ ad Deum homo attritus cum sacramento non tenetur conteri
„ in articulo mortis, quia opinio de sufficientia attritionis cum sacramento
„ est practice certa post Tridentinum; ideoque homo cum ea satisfecit
„ quantum debuit. Ex caritate tamen erga Deum, & erga se ipsum te-
„ netur habere majorem dispositionem." *Tract.* 6. *Cap.* 8. *n.* 197. *pag.* 123.

12. „ Quod si contingeret hominem, mori sine *amore* vel contritione,
„ recepto tamen sacramento cum attritione . . . nihilominus salvabitur,
„ quia non est talis actus necessarius necessitate medii, sed præcepti, a quo
„ excusatur ob aliquam ex causis dictis." *Ibidem. pag.* 123.

13. „ Si Confessor non speraret fructum, sive quia pœnitens non faceret
„ id, de quo admonendus esset, sive quia non posset, nisi *cum gravi* in-
„ commodo, potest, & debet tacere." *Tract.* 7. *c.* 12. *n.* 364. *pag.* 163.

14. „ Qua prudentia agendum sit cum recidiris? Respondeo, & dico,
„ primo Confessarios non debere esse admodum difficiles in iis absolvendis:
„ tum quia ut plurimum in iis non adest, nisi remota occasio: tum quia
„ non minus tenetur quisque vitare omnia mortalia, quam singula: & ta-
„ men si quis SEMPER in aliquod mortale incidat, *facile* solet absolvi"
Tract. 7. *in Brevi instructione pro Confess. excipiend. Cap.* 3. *pag.* 171.

15. „ Esto sint hac de re opiniones, tamen communior, & probabilior
„ est, posse, & debere Confessarium sequi opinionem in praxi probabilem
„ ipsiusmet pœnitentis." *Ibidem C.* 4. *pag.* 172.

16. „ An autem liceat feminæ, quæ nondum absolvit, viro jam abstracto a
„ copula excitare se motu corporis, vel tactibus ut compleat? Res est po-
„ tius

„ tius servanda in sinu Doctoris, quam passim aperienda, ut alii casus particulares in hac materia. Utrumque apparet probabile ex iis, quæ Sanchez." *Tractat. 10. Part. 1. cap. 9. n. 330. pag. 247.*

§. X.

P. Georgii Gobat Sociei. Jesu propositiones laxæ.

1. „ PRobabilius multo est essentiam orationis vocalis consistere cum „ perpetuis voluntariis distractionibus, seu evagationibus mentis. „ Ita Cardinalis de Lugo ex instituto, Tamburinus." *In experim. Theol. „ vol. 1. Tract. 5. n. 820. p. 310. edit. Venet.* 1698. Relata est Tom. II. Theol. Christian.

2. „ Probabilius est non teneri ad ullam restitutionem, qui cum volun-„ tariis, & perpetuis distractionibus recitavit horas omnes." *Tract. 5. Disp. „ 2. n. 842. p. 311.* Relata est Tom. II. Theolog. Christian.

3. „ Quando est solum probabile te succubiturum tentationi, etiam „ communiter probabile est, te non succubiturum. Atque sicut in plu-„ rimis aliis materiis fas tibi est ex utralibet sententiarum speculative „ probabilium deducere practicam conclusionem tibi gratam; ita licebit hic „ ita argumentari. Occurrunt mihi graves rationes, ob quas vir prudens „ sapienter iudicare potest me lapsurum in novum crimen mortale, si ac-„ cessero hanc domum. Vice versa sunt aliæ rationes etiam graves, ob „ quas alius æque prudens probabiliter pronunciaret me non lapsurum. „ Ergo possum sine nota temeritatis, & imprudentiæ me committere illi „ occasioni, certo non commissurus, si liquido scirem me in illa admissu-„ rum istud grave peccatum. *Atque adeo fas est per se loquendo* committere „ se periculo probabili peccandi mortaliter." *Vol. 1. Tract. 7. Cap. 16. n. 536.* Relata est Tom. IV. Theolog. Christian.

4. „ Liquido scio crebro fieri, præsertim inter plebejos, & rusticanos, „ ut eodem in lecto *aliquot horas induti, & exuti* cubent, & tamen nihil „ omnino impudicum agant, vel *non nisi oscula, & turpes attrectationes exer-„ ceant.*

„ Unde judico non posse a Confessario negari absolutionem omnibus il-„ lis puellis plebeis (aliud ob varias considerationes sentio de nobilibus,) „ quæ non videntur habere propositum numquam amplius admittendi *in „ lectum procum suum*; sed si qua, ut quandoque fit, asserat illum sexies, vel „ octies secum in eodem lecto jacuisse, verum nihil mali petiisse, aut fe-„ cisse, absolvendam videri, esto non proponat non amplius illum admitte-„ re." *Vol. 2. Tract. 5. C. 32. Sect. 2. n. 19. & 20. p. 344.* Relata est Tom. IV. Theolog. Christian.

Hæc opinio velit, nolit P. Carolus Nocetius, laxissima est, etiamsi turpes actiones non succederent, quia istæ cubationes puellæ exutæ cum proco exuto natura sua occasiones proximæ sunt.

5. „ Si concubinus nequeat dimittere suam concubinam sine jactura centum aureorum, seu ducatorum, poterit Confessarius pro re nata amplecti sententiam vel Joannis Sanchez, vel Oviedi paulo ante relatam. " *Tract.* 7. *Cas.* 16. *n.* 532. *pag.* 422. Joannes autem Sanchez *disp.* 16. docet „ illum qui suæ concubinæ dedit mutuos centum aureos, quos si eam dimitteret, esto versetur in proximo periculo relabendi in peccatum cum „ illa, si non dimittat. " Relata est Tom. IV. Theolog. Christian.

6. „ Si ipsa est ita effrons, ut dimissa propalatura sit occultum concubinatum, retinere eam volenti patrocinabuntur plerique ex citatis; sed utique muniendus erit peculiaribus propositis, & aliis mediis: sicut & „ patrocinabuntur, si ipsa sit ejus ancilla, & nequeat aliam adipisci absque „ pari periculo; cum tamen haud possit ullo modo carere ancilla omni." *Ibidem num.* 532. Relata est Tom. IV. Theolog. Christian.

7. „ Dominus, qui habet oratorium, non tenetur rogare, aut ullo stipendio conducere sacerdotem, qui faciat sacrum sibi non valenti adire „ Ecclesiam." *Tract.* 6. *n.* 350. *p.* 252. Relata est Tom. V. Theolog. Christian.

8. „ Pridie festi læsi nimio potu valetudinem, ut nequirem altero die „ ædem sacram subire, hancque impotentiam orituram prævidi. Resp. Tametsi perægre suscipio patrocinium lurconum; attamen illum de quo proponitur hæc quæstio, excuso a mortali, in quantum præcise ponit impedimentum Sacri de jure audiendi die sequenti." *Loc. cita. n.* 425. *p.* 256. Relata est Tom. V. Theolog. Christian.

9. „ Dico 2. nemo obligatur pridie Festi non ponere impedimenta sacri „ postridie audiendi. *Sic docui cit. Cap.* 27. *n.* 35. cum Suario, Becano, Bonacina, Palao, Dicastillo, quos ibidem refero, ubi etiam expressi, licet „ impedimentum ponatur per actionem *pessimam*, *non tamen esse necesse in* „ *confessione quidquam dicere de omisso sacro*.. Confirmo hanc doctrinam resolutione casus, quem *Tamburinus in Decalog. Lib.* 4. *Cap.* 2. §. 3. *n.* 9. recenset de duobus adolescentibus, destinantibus proficisci die Sabbati ad venationem instituendam loco tamen remoto ab omni Ecclesia, ut fuerit „ impossibile die Dominico audire Missam . . . . Casus Venatorius.

„ Quidam ex Congregatione nobilium selecti adolescentes (Verba sunt „ Tamburini loc. cit.) ad feras in remoto nemore venandas se egressuros, ut sit ex compacto decreverunt; quo in nemore opportunitas audiendi sacrum nequaquam suppetebat. Agebatur autem dies veneris illius hebdomadæ, & die consequenti iter arripere cum contenderent, „ interrogaverunt a P. Societatis Præfecto, an illis id liceret, quandoqui-

„ dem

„ dem fore prævidebant ut, die Dominico instanti, in eo loco ab Ecclesiis remotissimo, Missæ non essent intersuturi? Respondit Pater *sine culpa licere* . . . .

„ Verum adolescens quidam ex illis, *paulo ceteris Religiosior* hujus Patris consilio non acquiescens, P. Rectorem ejusdem Collegii, quid de hoc ipse sentiret, interrogavit, qui *nequaquam licere respondit* . . . .

„ Hactenus non solum narratio, sed etiam judicium P. Tamburini, qui licet utrumque responsum merito habeat pro probabili, *ego tamen pro probabiliore habeo Præsidis* utpote nixi & melioribus rationibus, & auctoritate quinque DD. " *Tract. 5. n.* 447. *& seq. p.* 258. Relata est Tom. V. Theolog. Christian.

10. „ Dico sexto. Probabile quidem est nullum extare præceptum de contritione per se loquendo elicienda ante articulum mortis; contraria tamen sententia (abstrahendo a perceptione sacramenti) est verisimilior, & in praxi sequenda. Prima pars probatur auctoritate, & rationibus, quas pro ea afferunt Suarez *Disput.* 5. *sect.* 6. atque Dicastillo *cit. Disput. part.* 3. *dub. ultimo*, qui Dicastillo *mordicus* defendit illam priorem partem, Suarezio habente eam solum pro probabili. " *Tract.* 6. *n.* 139. *p.* 333. Relata est Tom. IX. Theolog. Christian.

11. „ Non contrahitur, adeoque confitenda non est malitia circumstantiæ *mutantis speciem*, nisi pœnitens, *quando peccatum committebat saltem dubitarit*, an non adesset circumstantia talis, & an non contraheretur propter illam peculiare peccatum. Ita fert comunior sensus Theologorum. *Utere mi bone vir* frequenter hac regula, præsertim in excipiendis confessionibus rudium, & nominatim quando malitia circumstantiæ est nota soli Doctorum vulgo. " *Tract.* 7. *n.* 324. *p.* 400. Relata est Tom. IX. Theolog. Christian.

12. „ Negat P. Conink *loc. cit. n.* 98. esse probabilem opinionem arbitrantium, quando adest tanta multitudo confiteri volentium pro aliquo celebri festo, ut Sacerdos nequeat omnibus satisfacere, audiendo omnes *integre*, posse singulis dicere, ut aperiant solum graviora e mortalibus, reliqua differant in aliud tempus. Censeo ego, salvo meliori judicio, eam opinionem posse probabiliter sustineri, casu, quo multi e longinquo advenissent, obtinendæ alicujus *grandis* indulgentiæ confessionem, & communionem requirentis causa. " *Tract.* 6. *n.* 479. *p.* 358. Relata est Tom. IX. Theolog. Christian.

13. „ Certum est apud omnes DD. oscula, tactus, amplexus non impudicos licite fieri inter sponsos, quando fiunt secundum consuetudinem patriæ in signum benevolentiæ ad conciliandum, & fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium. Ita loquitur P. Perez . . . Et quidem sunt ob finem prædictum liciti hi actus, *licet adsit periculum pollu-*

„ tio-

„ *tionis* , modo non sit periculum consensus . . in veneream delectatio-
„ nem . " *Tract.* 10. *n.* 671. *p.* 744. Relata est Tom. X. Theolog. Christian.

„ 14. Sanchez *loc. cit. n.* 49. utentem quidem nomine delectationis *sensitivæ*, sed per hanc *certo* intelligi *veneream* , ut pat. ex *n.* 5. .... Fateor
„ tamen non raro fieri, ut Confessarius *cogatur* in praxi supponere sententiam *Peretii*, nisi velit tales sponsos dimittere *sine absolutione*, utpote
„ quibus ægre persuadebit, *aut illos amplexus*, *oscula* &c. *esse mortalia* , *aut*
„ *ut agnoscentes esse mortalia*, *forment propositum se emendandi* . " *Tract.* 10.
n. 672. *p.* 745. Relata est Tom. X. Theolog. Christian.

15. „ Quid faciet Confessarius, si videat pœnitentem ex invincibili i-
„ gnorantia obnoxium v. g. mollitiei , cujus gravitatem edoctus , ob ha-
„ bitum pravum vix abstinebit? His ipsis verbis proposita fuit illa quæ-
„ stio, applicataque huic peculiari vitio, cum posset pluribus . Respondi
„ autem ex scriptis *illo cap.* 37. *n.* 61. si, probe consideratis circumstantiis
„ illius pœnitentis, omnino judicetur *nihil plane profuturam monitionem*, sed
„ cognito a se committi grave scelus, nihilo rarius patraturum illud, quam
„ fecit ignarus turpitudinis tantæ , coram Deo dissimulandam esse ma-
„ nifestationem veritatis. " *Tract.* 7. *n.* 315. *p.* 399. Relata est Tom. X.
Theolog. Christian.

16 . „ Et vero non semel didici, esse qui inculpabiliter ignorent morta-
„ lem in omni casu malitiam hujus flagitii . . . Igitur practice loquendo,
„ non tam quærendum est de illo, qui plane nunquam peccatum illud o-
„ mittet ob cognitam turpitudinem, quam de illo solo, *qui vix omittet*, *seu vix*
„ *abstinebit*, ut loquuntur illæ litteræ, idest qui quandoque, etsi rarissime,
„ abstinebit, sicut, proh dolor ! gemunt Confessarii, se nactos complures
„ hujus fœdissimi simul & fœtidissimi furfuris. De hoc quoque censeo in-
„ telligendam sententiam D. *Augustini* : *moraliter enim non tam prodest* ,
„ *quam obest* ***ILLA MONITIO***, quæ tantum impediet sex, octo, decem pec-
„ cata formaliter mortalia, causabit autem ducenta , trecenta itidem for-
„ maliter mortalia. " *Tract.* 7. *n.* 317. *p.* 399. Relata est Tom. X. Theolog. Christian.

17. „ Qui iter agit, excusatur , si audiendo sacrum sit amissurus socios,
„ qui vel sint duces itineris ignoti, *Bonacina n.* 6. aut infesti latronibus ,
„ Henriquez cum communi : vel qui persoluturi sint expensas itineris
„ *Suarez cit. ver. Tertium ex communi*, aut necessarii ad illas tolerandas :
„ *Tannerus n.* 87. aut generatim allaturi aliquod notabile commodum ,
„ *Suarez* , & *Dicastillo n.* 178. aut præstituri societatem necessariam vel
„ utilem. *Silvester loc. cit.* seu bonam societatem; *Rodriquez loc. cit.* adeo-
„ que levaturi tædium viæ longæ. *Henriquez n.* 10. atque *Escobar lib.* 43.
„ *n.* 297. Quamvis Suarez, Nugnus, Bonacina, Tannerus, Jordanus, Bas-
„ sæus,

„ fæus, ac D. Reding. n. 23. exprimant, te non excusari, si eos cum ja-
„ ctura sacri sequaris solum ad levandum tædium viæ, seu, ut habeas so-
„ cium itineris. *Sed assentior Henriquezio*, quia scio ita solere fieri sine
„ gravi scrupulo, nec posse sine gravi, & notabili incommodo aliter fie-
„ ri. Quin Tamburinus *n.* 5. *absolute* excusat itinerantes, *ex eo etiam ca-
„ pite ne amittant socios*. Vere est permolestum iter agere toto die sine
„ comite, si possis habere, & jubearis carere. Ergo hoc ipso adest titulus
„ expressus, atque auctoritate sufficiente probatus a nobis supra n. 442.
„ Secus si tantum pauculas horas oporteret carere dulci vehiculo, idest
„ bono, & jucundo comite. " *Tract.* 5. *n.* 496. & 497. *p.* 262.

18. „ *An repetendæ communionis onus impendat illi, qui Paschalem percepit
„ indigne reus corporis & sanguinis Domini?* Resp. Probabilius est non im-
„ pendere, Suarez, Tannerus, Card. de Lugo Disp. 16. de Eucharist. &
„ aliis adversus Durandum, & alios. " *Tom.* 1. *Tract.* 4. *n.* 43. & 44.
p. 188.

19. „ *At nonne Lateranense diserte decernit esse Christum reverenter sumen-
„ dum? Quæ autem adest reverentia, quando sumitur cum tanta irreverentia
„ ut a sumente avertat vultum abhorrentem, sicuti noster casus testatur?* Resp.
„ Suadet illa Synodus reverentiam internam, non præcipit: nam sicut
„ de occultis non potest Papa divinare .... ita nec illa mandare. S
„ Thomas 1. 2. q. 91. a. 4. Vide Card. de Lug. loc. cit. " *Ibidem num.*
44.

20. „ Accedit, quod Alexander septimus, qui damnavit opinionem scri-
„ bentium, Confessionis annuæ præcepto satisfieri per sacrilegam, nihil au-
„ tem statuerit de communione itidem sacrilega, videatur fuisse conten-
„ tus sacrilega, argumen. vulgaris doctrinæ desumptæ ex C. Non ne de
„ præsumption. " *Ibidem p.* 188.

21. „ Viennæ moriebatur Vir dives, & probus, qui tamen fuerat in
„ Religione Lutheri educatus. Adsunt Lutherani, & Catholici, &
„ dum utrique illum ad se attrahere fatagunt, ille inclamat: Deus! in re
„ tanti momenti non me possum resolvere: moriar in vera Religione:
„ utra talis sit nescio. Tu sis, & *sic devixit*.

„ Sic, inquam, devixit teste Caramuele Fund. 46. n. 1040. Hic fuit
„ incapax absolutionis, quia non apparet ex hac narratione doluisse de
„ peccatis, nedum ostendisse exterius ullum dolorem: si autem illis ver-
„ bis subdidisset verba publicani, *Propitius esto mihi Deus peccatori*, vide-
„ tur potuisse absolvi. Verba enim illa superiora, quæ refertur protulisse,
„ satis demostrabant, non fuisse pertinacem in Lutheranismo, sed dumta-
„ xat materialiter hæreticum. " *Tom.* 1. *Tract.* 7. *n.* 618. *p.* 439.

22. „ P. Fagundez Lib. IX. in Decal. cap. IV. n. 22. sic loquitur. Licitum
„ est Filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato pro-

„ pter

„ pter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.... illa P. Fagun-
„ dez doctrina, quæ paradoxa videri possit, veritatem habeat speculati-
„ vam, etsi practice periculosam. " *Tom. III. Tract.* 5. *cap.* IX. *sect.* 8. *n.* 54. *pag.* 253.

23. „ Sicuti licitum est gaudere, quod hi, aut illi mali effectus evene-
„ rint inculpabiliter tempore ebrietatis: ita etiam fas esse optare, ut eve-
„ niant, si quo casu contingat aliquem vino deponi. Vasquez... Lessius...
„ Ratio est, quia quod est obiectum honesti gaudii, est etiam objectum honesti
„ desiderii. " *Ibidem. n.* 57.

24. „ Quamvis autem scripserim paulo superius n. 567. Germanos non
„ esse communiter pronunciandos reos usuræ, quando dicunt, se huic,
„ aut illi dare centum e. g. aureos cum conditione, ut post annum illam
„ summam, & præterea quinos aureos pro censu restituant: *non ausim ta-*
„ *men hoc dicere de aliis nationibus, nominatim Gallis.* " *Tom. I. Tract.* 7. *n.* 570. *pag.* 430

25. „ Conveniunt DD. excepto Petro Soto, & Joanne Wigers mox re-
„ ferendo, nullum esse præceptum suscipiendi extremam unctionem, quam-
„ vis adsit opportunitas, aut commoditas illam suscipiendi. Ita expresse
„ loquitur Hurtadus... Itemque Palaus... nam revera nullum potest ex-
„ hiberi. " *Tract.* 8. *n.* 816. *pag.* 561.

26. „ Ergo per se loquendo, nec venialiter quidem delinquet, qui vo-
„ lens prudens omittet? Non est mala consequentia spectatis legibus po-
„ sitivis solis. Nam verba S. Jacobi loquentis de hoc sacramento possunt
„ apte intelligi de solo consilio. " *Ibidem pag.* 561.

27. „ Si cui præbuisti venenum, ex quo extinctus is est, satisfacis, *per*
„ *se loquendo*, præcepto Christi de confessione, dicendo præcise: *Præbui vo-*
„ *luntarie seu studio alicui venenum, animo illum necandi.* Et quando te vino
„ plane inebriasti, sufficienter confiteberis dicendo: *Bibi ex voluptate vi-*
„ *num prævisо ebrietatis periculo.* " *Ibidem n.* 352. *pag.* 348.

28. „ Furatus mille aureos sufficienter confitetur dicens: Commisi furtum
„ mortale. Navarrus, Vasquez, Bonacina, Megala, Zanardus.... sequun-
„ tur Diana, Lugo, Dicastillo, & Leander... extendens hanc doctrinam
„ cum Vasquez, Lugone, Dicastillo, Velasco ad casum, quo illi mille
„ aurei uno actu sublati, spectabant ad plures Dominos. " *Ibidem n.* 378. *pag.* 350.

29. „ Qui unico actu voluntatis desideravit, vel proposuit occidere de-
„ cem homines, aut peccare cum decem mulieribus (satisfacit) si dicat:
„ *habui propositum occidendi aliquos, desiderium quoque fornicandi.* " *Ibidem n.* 385. *pag.* 351.

30. „ Qui uno actu voluntatis statuit non jejunare tota quadragesima,
„ numquam toto anno vel recitare Breviarium, vel audire sacrum, reus

„ est

„ est tantum unius peccati. P. Vincentius Fillīucius *Tract.* 27. *n.* 87......
„ contra Dianam..... Ideo recte confitebitur dicens: habui propositum
„ non jejunandi, non audiendi rem divinam, non recitandi Breviarium."
Ibidem n. 410. *pag.* 353.

31. „ Tuto stabis opinioni inficiantium opus esse ut postquam depre-
„ hendisti te certo contraxisse illum numerum peccatorum mortalium, de
„ quo te accusaveras sub dubio per particulam *circiter*, seu *plus minus*, di-
„ cas Confessario quid quam amplius de illo numero. Ratio est, quia id infi-
„ ciantur gravissimi Doctores, Sotus, Vega, Ledesma, Suarez, Vasquez,
„ & alii, quos nominat Card. de Lugo *Disput.* 16. *n.* 78. testans esse hunc
„ communem sensum." *Ibidem n.* 419. *pag.* 353.

32. „ Tametsi recte asserunt Medina, Suarez, & alii cum, & apud
„ Dicastillum esse repetendam Confessionem, in qua omissum est ex
„ mortaliter mala negligentia, vel ignorantia aliquod peccatum mortale:
„ est quippe valde difficile capere quomodo possit Sacramenti hujus va-
„ lor, seu essentia consistere cum peccato *formaliter* mortali: quia tamen
„ contraria opinio Cajetani, Soti, Victoriæ apud Dicastillum l. c. & ple-
„ rorumque Thomistarum, ut testatur Diana... eos sequens, ac defendens,
„ nequit adhuc vocari improbabilis, ideo non immerito dixi in Alphab.
„ Confess. *n.* 278. non esse facile quemquam adigendum ad repetendam
„ Confessionem ob culpam negligentiæ admissam in excutienda conscien-
„ tia." *Tract.* 6. *n.* 568. *pag.* 363.

33. „ Quando tuus ordinarius pœnitens omisit *sacrilege* per tres, quatuor,
„ aut plures annos aliquod peccatum mortale, denique autem tactus divi-
„ nitus aperit tibi ulcus, nequaquam opus est, ut repetat omne Confes-
„ siones, peractas toto illo quadriennio." *Ibidem n.* 561. *pag.* 363.

34. „ Quando es confessus aliquod peccatum mortale vestitum circum-
„ stantia mutante speciem, quam tamen omisisti per oblivionem, aut
„ culpabilem negligentiam in discutienda conscientia.... *non est opus*, ubi
„ proxime confiteberis, exprimere una *cum circumstantia* actum *principalem*.
„ Suarez &c." *Ibidem* 573. *pag.* 363.

35. „ Deducet Confessarius lethalis noxæ non esse damnandum illum,
„ qui per actiones ex se vel nullo modo, vel tantum leviter turpes dat oc-
„ casionem his motibus (sensualitatis) nec statim cessat, dummodo non
„ sit periculum consensus. Lessius Lib. IV. cap. 111. n. 102. cum multis.
„ Suadenda tamen est vitatio talium actionum quoad commode potest."
Tract. 7. *n.* 330. *pag.* 401.

36. „ Inter agrestes vigent verba, modique loquendi valde alieni a lin-
„ guis, seu Dialectis, quas solas norunt illi Confessarii, & excipiunt illas
„ Confessiones etiam communibus per annum festis, cum tamen sit cer-
„ tum, quod primis mensibus quandoque errent, *intelligentes quid pro quo*,

„ immo interdum nulla ratione possint extorquere explicationem sufficientem nonnullorum: quia, inquam, video, audio ista factitari a tot Superioribus, tot inferioribus virtute, & doctrina spectandis, judico nullum inferiorem debere, non dico detrectare, sed nec multum deprecari, si peritus tantum unius Dialecti in alia exponatur ad excipiendas Confessiones utentium *alia admodum*, non tamen extreme diversa." *Tract.7. n.* 486. *pag.*418.

37. „ At illa cum qua peccavit (Confessarius) est sanguine proxime juncta, & præ pudore non audet alteri manifestare sacrilegum incestum? Resp. ob hanc ipsam causam respondi uni jam pridem ad plures evocato, posse ipsum omnino excipere confessionem talis complicis." *Tract.* 7. *n.*582. *pag.*434.

38. „ Quidam vir nobilis est in mora solvendi debitum unciarum ducentarum ex contractu. *Sæpius confitetur*, & non solvit, habet tamen animum solvendi. Quærit Confessarius an sit illi absolutio neganda, maxime cum creditor multoties ab illo petierit solutionem. Videtur mihi *non ita rigide procedendum esse*. Nam quando debitor *habet animum solvendi*, neque creditor patitur ex dilatione solutionis damnum, mortalis culpæ minime damnandus videtur. Talis enim dilatio non est ipsi creditori adeo injuriosa, ut debitor judicandus sit lethalis criminis reus. Non auderem sequi hanc sententiam, nisi patronos haberem Molinam de justitia, & jure Tom. III. Tract. 2. Disput. 753. n. 1. & Bonacinam. de contract. disp. 1. quæst. 6. n. 4. Notent hanc decisionem Confessarii, quia tollit multos scrupulos, maxime in confessionibus nobilium, qui per multos menses, sine justa causa, differunt restitutionem, sed urgeant semper propter solutionem maxime quando foret magna, & commode posset fieri restitutio." *Tract.* 7. *n.*563. *pag.*428.

39. „ Latro excitaret dolorem de suis furtis, seu latrociniis, idest grassationibus ob infamem quidem mortem decretam a Latrunculatore, seu judice rerum capitalium; at decretam a Deo, tamquam supremo vindice omnium scelerum; nequaquam dubitandum foret, quin foret vera, & supernaturalis attritio; & consequenter juxta ea, quæ concludemus num. seqq. proportionata obtinendo effectui sacramenti pœnitentiæ, cui jungitur." *Tract.* 6. *n.* 47. *pag.*325.

40. „ Nunc primum autem diximus hæresim Lutheranam aut Calvinianam communiter, nec directe, nec indirecte officere valori Matrimonii: idcirco Ludovisiam illam, *per se loquendo*, non potuisse nostra opinione transire ad secunda vota vivente suo Calviniano Isaaco. Si tamen *reipsa* transiit, non esse prorsus necessario ipsi movendum scrupulum, quia nostram Thesim nec facimus omnino generalem, nec statuimus tamquam certam, sed solum ut longe probabiliorem: & quia non

„ du-

„ dubitamus, quin aliquod viri docti, ac sapientes approbent suo calcu-
„ lo responsum illius Doctoris. " *Tract.* 9. *n.* 241. & 242. *pag.* 606.

41. „ Radegundis maritata juvenis Jovialis genii, & calidi, maritum
„ habet jam jam septuagenarium... jam senio confectum, & impotentem.
„ Radegundis urgetur stimulis gravibus: maritus illam amat, & quia non
„ potest aliter, rem agit tactibus. Radegundis etiam amat maritum, pa-
„ titur, polluitur semel, bis, ter.... Respondi ex jam jam dictis, cum
„ illi tactus videantur factitari ordinarie sine pollutione, tametsi hæc
„ quandoque sequatur præter *directam* utriusque intentionem, cum deinde
„ appareat fieri, non ex mera libidine, sed ad testandum, fovendum amo-
„ rem conjugalem, qui ceteroquin facile frigescit in tam impari connu-
„ bio: ideo ex sententia Sanchezii, & Filliucii non videri delinquere
„ mortaliter illis tactibus. " *Tract.* 10. *n.* 668. & 669.

42. „ Confirmo auctoritate Dianæ, qui absolute, & sine limitatione re-
„ spondit consultus, non peccare conjuges, qui in signum amoris con-
„ jugalis se amplectuntur, quamvis prævideatur secutura pollutio. " *Ibi-
dem pag.* 744.

43. „ Quia rectissima opinio fert Confessarium teneri accommodare se
„ opinioni probabili pœnitentis; idcirco Confessarius non tantum licite
„ potest, sed etiam tenetur omittere injunctionem pœnitentiæ vindica-
„ tivæ, quando pœnitens id petit ob indulgentiam a se paulo ante pro-
„ babiliter obtentam, vel probabiliter mox obtinendam. " *Tom. III. Tract.*
4. *cap.* XXXIX. *n.* 719. *pag.* 221.

44. „ Licet probabile sit id quod jam primum ex Bonac: retuli, negare
„ tamen non possum quin etiam sit probabile pœnitentem non teneri
„ tempore indulgentiæ plenariæ, quam lucrari decrevit, ullam etiam me-
„ dicinalem pœnitentiam (nisi illam, quam forte ipsum jus naturæ citra
„ omne Confessarii præceptum præscribit) admittere, nam ita fuse do-
„ cet Cardinalis de Lugo. " *Tom. III. Tract.* 3. *cap.* XXV. *num.* 174.
pag. 94.

45. „ An Eunuchus, qui poterat penetrare vas, non autem immittere pro-
„ rificum semen, fuerit spoliatus jure petendi debitum quod acquisierat,
„ quando adhuc integer iniit conjugium? Respondi ac respondeo id qui-
„ dem negari a Petro Ledesma.... at rectius asseri ab eodem Sanchez,
„ Perez. " *Tract.* 10. *n.* 606. *pag.* 736.

46. „ At est ne illa nostra generalis doctrina vera, etiam casu, quo ali-
„ qua opinio habetur probabilis, non communiter a doctis, sed tantum ab
„ aliquo privato? Respondet contra Salas, & Aversam affirmative P. Tam-
„ burinus.... cum Vericelli. " *Tract.* 7. *n.* 116. *pag.* 378.

47. „ Vera ne etiam est, tunc quando probabilitas versatur circa solum
„ factum; ut quando est probabile Episcopum dedisse mihi facultatem

„ absolvendi a reservatis, *cum tamen ne cogitavit* quidem? Respondent
„ iidem Tamburinus, & Verricelli post Mascardum, contra Aversam,
„ ac Salas rursum *affirmative* ob paritatem rationis cum probabilitate
„ juris. Ego nequeo negare probabilitatem illis duobus responsis assertivis,
„ abstineo tamen ab absaluta approbatione." *Ibidem pag.* 378.

48. „ Est ut plurimum culpa venialis petere debitum uxore menstruis
„ laborante, at non mortalis, quamvis conjuges credant fore ut Monstrum
„ gignatur. Sanchez Disput. 21..... Hactenus audivimus P. Thomam San-
„ chezium virum plane virgineum." *Tract.* 10. *n.* 595., & *n.* 596.

49. „ Tametsi Navarrus... satis aperte excusat a mortali maritum, qui
„ volens legitime copulari uxori, quo se excitet, vel majoris voluptatis
„ captandæ gratia, inchoat cum ea copulam sodomiticam, non animo illie
„ consummandi (foret enim tunc apertissime culpa lethalis) sed consummandi
„ in vase naturali: Viri tamen doctissimi a me, inquit P. Sanchez, con-
„ sulti, censent, & merito quidem esse culpam lethalem inchoatæ Sodo-
„ miæ Disp. 17. n. 5. Quod si vir in superficie dumtaxat vasis præposte-
„ ri uxoris refricaret sua verenda, vel in os ejus intromitteret, cessante
„ omni pollutionis periculo, non crederem esse lethale." *Tract.* 10. *n.* 586. *p.* 731.

50. „ Scribitur Poligonus ideo impedivisse simultaneam effusionem semi-
„ nis, ut hac ratione evitaret, seu impediret generationem prolis; *proba-*
„ *biliter* non deliquit. Nam non solum non adest præceptum procurandi
„ illam simultaneam seminationem, ... sed etiam immunis culpæ lethalis
„ est vir, tactibus irritans venerem, sciens se sic effecturum, ut seminet
„ prius quam mulier." *Ibidem n.* 597. *p.* 735.

§. XI.

Didaci Hurtado, Hurtado de Mendoza, Henriquez Soc. Jesu propositiones laxæ.

1. „ HÆc omnia demonstrant quam confuse, & indigeste illa proposi-
„ tio (scil. 17. damn. ab Innoc. XI.) fuerit tradita tot diversos
„ casus comprehendens pari regula, cum sint valde dispares, & quantis ad-
„ ditamentis, limitationibus, fulcrisque indigeat ut ad praxim secure re-
„ vocetur." *In Theolog. Reform. Dis.* 23. *cap.* 1. *n.* 5. Relata est Tom VII. Theolog. Christian.

2. „ Quæ autem de Famulis diximus, & ad quosvis alios stipendiarios
„ extendimus, servata proportione locum habent in Sacerdotibus, qui Mis-
„ sas celebrant, in vinea namque Domini operantur; & sicut alii opera-
„ rii digni sunt sua mercede. Quapropter si merces justa, & recepta lege,
„ consuetudine, aut conventione taxata eis non persolvatur, optimo jure
„ se

„ se se compensare poterunt, & quod justo deest, sibi occulte accipere ex „ aliis pecuniis ejus, qui ipsis Missas commendavit, servatis his, quæ in „ istis compensationibus ab aliis servari debent. " *Ibidem Dis.* 23. *cap.* 5. *n.* 4. Relata est Tom. VII. Theolog. Christian.

3. „ Gravis tamen insurgit difficultas, num scilicet is Sacerdos, cui re- „ compensatio ex justitia debebatur, supplementumque exigui stipendii, „ possit se indemnem servare non offerendo tot Missas, quot promisit ini- „ quo contrahenti, sed pauciores, & eas solum, quæ diminutis stipendiis „ simul sumptis respondent justo stipendio....(Post multa, quæ brevitatis „ studio omittuntur, respondet) Sicut alii operarii injuste læsi in contractu „ locationis circa stipendii justitiam, bifariam sibi consulere possunt, cum „ alia media deficiunt: nempe vel exhibendo totam operam promissam „ dignam majori stipendio, & sibi accipiendo occulte, quod justo stipendio „ deest, saltem usque ad gradum infimum; vel potius minuendo operas, „ nec præstando nisi illas quibus ad æqualitatem correspondet stipendium, „ quod tribuitur: ita pariter huic Sacerdoti similiter injuste læso circa sti- „ pendium Missarum licebit sibi consulere, quocumque ex prædictis me- „ diis: neutrum enim est injustum &c." *Ibidem n.*43. Relata est Tom. VII. Theolog. Christian.

4. „ De sculptura, aut pictura idoli est dubium: & quidem ea est licita, „ quando nec quæritur, nec timetur idololatria, cum autem timetur dico „ peccaturum contra Religionem, qui eam præbet absque urgentissimo „ damno. Probatur tum ex lege caritatis; tum quia omnis virtus obli- „ gat, ut vitentur omnes occasiones eam violandi... Si autem non possum „ ego non præbere *idolum* absque gravi damno proportionato, non pecco in „ eo dando." Hurtado de Mendoza in 2. 2. *Disp.* 66. *Sect.* 6. §. 181. *apud Dianam Coord. Tom.* VII. *Tract.* 5. Relata est Tom II. Theolog. Cristian.

5. „ Qui cum attritione per absolutionem justificatur, non tenetur ad „ præceptum connaturale de contritione formali, quia jam remedio per se „ instituto, & compensativo ex applicatione meritorum Christi consecutus „ est remissionem, & in *æquivalenti* implevit priori, & meliori ratione „ finem totum, in quem contritio ordinatur. Contritio enim non remittit „ peccatum, nec compensat, nisi ut includit votum, & vicem sacramenti „ pœnitentiæ. Quare compensatione per sacramentum applicata magis con- „ tentus est creditor Deus, quam compensatione contritionis. Alias si con- „ tritio, dum haberi potest, esset necessaria, obligaret PER SE, etiam dum „ suscipitur absolutio, quia tunc haberi potest. Ac subinde Christus in le- „ ge Evangelica non LEVIGASSET ONUS, SED ADJECISSET GRA- „ VE ONUS CONFESSIONIS præter necessariam contritionem. " Henricus Henriquez *Lib.* 4. *Sum. cap.* 6. *n.* 5. *p.* 155. *edit. Venet.* 596. Relata est Tom. IX. Theolog. Christian.

§. XII.

§. XII.

P. Pauli Layman Soc. Jesu propositiones laxæ.

1 „ SI vir equestris in Aula regia, officio, dignitate, Ducis, aut Principis favore ob ignaviæ suspicionem excidere debeat, nisi identidem „ provocanti (ad duellum) se sistat; non audeo damnare eum, qui meræ „ defensionis gratia paruerit.“ *Lib.* 3. *Tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 3. *p.* 317. *edit. Venet.* 1662. Relata est Tom. II. Theolog. Christian.

2. „ Idemque sentiendum, si ad pugnandum laceſſens alterum, crebra con„ vicia, & contumelias adjiciat; a qua ille molestia, & subeundo dedecore „ aliter liberare se non possit, nisi armis congrediatur. Nam si ob defensio„ nem bonorum hominem mutilare, vel occidere fas est; multo magis, si ita „ necesse sit ad defendendum honorem, vel avertendam contumeliam: quan„ doquidem honor pluris valet, quam fortunæ bona, & injuria personæ ma„ jor est quam fortunarum damnum.“ *Ibidem*. Relata est Tom. II Theolog. Christian.

3. „ Fas est famulo feminam cum qua Herus peccaturus est, per ja„ nuam intromittere, facem præferre, lectum sternere, sicuti docent San„ chez.. Navar. Rodriguez Azorius.“ *Lib.* 2. *Tract.* 3. *cap.* 13. *p.* 214. Relata est Tom II. Theolog. Christian.

4. „ Licet Navar. Philiar. Azor. existiment etiam conjugatum peccare „ mortaliter, si *voluntarie* delectetur commotione sensitiva, ac venerea „ orta ex conjugis absentis apprehensione; eo quod talis commotio tunc „ ordinari non possit ad actum conjugalem, sed potius ordinetur ad pol„ lutionem; opposita tamen sententia probabilitate non caret.“ *Tom.* I. *Lib.* 1. *Tract.* 3. *Cap.* 6. *n.* 14. *p.* 35. Relata est Tom. IV. Theolog. Christian.

5. „ Si aliquem qui injustum damnum alteri inferre decreverat, consi„ lio, vel hortatu MAGIS ETIAM confirmasti, utrum ad restitutionem „ damnificato tenearis? Respondeo probabiliter negari posse. Quia non fui„ sti causa efficax (allegatur ratio, ut Nocetius obmutescat) ut damnum „ absolute, & *secundum substantiam* inferretur, quando alter per se ipsum „ satis incitatus erat ad inferendum, ut etiam absque suasu tuo intulisset.“ *Lib.* 3. *Tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 5. *p.* 262. Relata est Tom. IV. Theolog. Christian.

6. „ Neque obstare videtur, etsi hortatu tuo causa fueris ut citius, aut „ expeditius damnum inferretur.“ *Ibidem*. Relata est Tom. IV. Theolog. Chrisiian.

7. „ Aliquis *ludendo falsis aleis* pecunias lucratus est, earumque partem „ ali-

„ aliquam Socio suo donavit, quamvis *scienti*, tamen non cooperanti ad „ fraudem committendam. *Recte* dici potest socium ad nullam restitutionem „ obligari, si lusor ille pecunias *ludo iniquo* acceptas cum propriis miscue„ rat. “ *Lib.* 3. *de Just. Tract.* 4. *cap.* 17. §. 3. *n.* 23. *p.* 382. Relata est Tom. IV. Theolog. Christian.

8. „ Civis majore anni parte pecunias paratas habere debet ex quibus „ indigentibus opificibus, præsertim textoribus, mutuum dare possit, *reli*„ *cto ipsi in securitatem solutionis pignore v. g. tela*. Cum autem, recepto pi„ gnore, solutio facienda est, post annum medium in singulos florenos „ mutuo datos auctarium adjiciendum est, V. G. unus *pazius*. Consideran„ dum enim est auctarium istud non accipi ratione mutui, sed ratione „ obligationis, oneris, ac curæ, quam Civis ille ob gratiam textorum „ in se suscipit, ut toto ferme anno pecunias pro illis in promptu ha„ beat, quocumque tempore in domum suam adventantes intromittat, „ *pecunias numeret* &c. quæ obligatio pretio æstimabilis est. “ *Lib.* 3. *Tract.* 4. *Cap.* 16. *p.* 373. Relata est Tom. VII. Theolog. Christian.

9. „ Ex dictis etiam colligitur eum, qui ex inveterata consuetudine, „ velut quodam necessario impetu rem malam agit, V. G. materiales blas„ phemias, vel perjuria effundit, tunc non peccare, nec proprie blasphe„ mane, vel pejerare. *Lib.* 1. *Tract.* 2. *c.* 3. *p.* 16.

10. „ Si quis verba blasphemiæ proferat animo nec actualiter, nec *vir*„ *tualiter* advertente, puta in ebrietate, non esse blasphemiam proprie di„ ctam, sed tantum materialem; *nihil obstante quod homo* sciverit se in e„ brietate talia verba effutire solitum, & nihilominus se inebriavit, sicuti „ docet Vasquez Lessius, Turrianus. *Lib.* 4. *Tract.* 10. *Cap.* 6. *numer.* 3. *pag.* 667.

11. „ Confessarius absolutionem a peccatis Diviti non facile nega„ re debet, quod communes pauperum miserias per eleemosynam sublева„ re monitus *recuset*. “ *Lib.* 2. *Tract.* 3. *Cap.* 6. *n.* 5. *pag.* 198.

12. „ Sententia, quod explicita fides de Sanctissima Trinitate, & Incar„ natione Christi neque post factam Evangelii promulgationem necessa„ ria sit necessitate medii, seu ad veram justitiam, seu ad gloriam æter„ nam consequendam, non minus probabilis, & facile defendi posse vide„ tur. “ *Lib.* 2. *Tract.* 1. *Cap.* 8. *pag.* 170.

13. „ Usura non est nolle mutuare alteri pecunias v. g. nisi is etiam „ aliquod beneficium præstet, v. g. frumentum mutuo det, vacans sæcula„ re officium conferat, vel nisi simul alium contractum, V. G. venditionis, „ locationis pretio, seu pensione justa celebret. Ita sentiunt Adrian: An„ gelus, Major, Petrus Navarra, & sumitur ex S. Thom.. Lessio, Moli„ na .. Requiritur tamen, ut sit mera conditio, *cum qua*, & *sine qua* non „ mutuandi; non autem *proprie* in pactum deducatur cum obligatione ju„ stitiæ

„ stitiæ mutuatario imponenda, ad vicissim mutuandum, vendendum." *Lib.* 3. *Tract.* 4. *Cap.* 10. *num.* 3. *pag.* 370.

14. „ Doctor alteri consulenti, consilium dare potest, non solum ex pro-„ pria, sed etiam ex opposita probabili aliorum sententia, si forte hæc il-„ li *favorabilior*, seu exoptatior sit." *Lib.* 1. *Tract.* 1. *Cap.* 5. §. 2. *num.* 9. *pag.* 5.

15. „ Immo arbitror nihil a ratione alienum fore, si doctor consultus „ significet consulenti opinionem a quibusdam viris doctis tamquam pro-„ babilem defendi, quam proinde sequi ipsi liceat. Quamvis idem Doctor „ ejusmodi sententiam speculative falsam esse certo sibi persuadeat, ut pro-„ inde ipsemet in praxi eam sequi non possit. Cum enim consulens in re „ dubia jus habeat se conformandi opinioni, quæ a quibusdam viris do-„ ctis defenditur, nihil obstante quod aliqui alii contradicant, & specula-„ tive sententiam improbabilem judicent, hoc ipsum jus consulenti Do-„ ctor indicare non prohibetur." *Ibidem*.

16. „ Atque hinc existit, quod vir doctus diversis secundum *oppositas* „ probabiles sententias, *opposita consilia* dare possit, servata tamen *discre-„ tione* ac prudentia." *Ibidem*.

Quid? Venenum ne sine discretione propinandum est, & absque prudentia? Si enim uni consulenti Doctor veritatis poculum præbeat, alteri falsitatis calicem propinet, necessum est teste ipso Ethnico Cicerone, dicente: *Alterum fieri profecto potest, ut earum* (opinionum) *nulla*; *alterum certe non potest, ut plus una vera sit*. De Nat. Deor. Lib. 1.

Præfatam doctrinam a Pyrrhonismi labe purget, si valet, P. Carolus Nocetius.

§. XIII.

P. Leonardi Lessii Soc. Jesu propositiones laxæ.

1. TUm solum scandali reas mulieres efficit cum veste adeo pellucida utuntur, ut pudenda appareant. „ Tertio ratione scandali, ut si „ quis uteretur veste adeo tenui, vel ita conformata, ut per eam puden-„ da non satis tegerentur." *Lib.* 4. *de Justit. Cap.* 4. *dub.* 14. *n.* 112. *p.* 666. *Edit. Lugdun.* 1653.

2. „ Pingere faciem, eique varios colores inducere (loquitur de femi-„ nis) non est per se malum, sed indifferens: similiter per hoc intendere „ pulchritudinem, & artificio juvare, ac exornare opus naturæ. Ergo ni-„ hil hic est mali, nisi ratione excessus in affectu & usu rei indifferen-„ tis." *Ibidem. n.* 3.

3. „ Scripturæ illæ (divinæ) vel continent exhortationem, cum nul-

„ lum

„ lum verbum præceptivum habeant, vel si continent præceptum, agitur „ de illis, quæ se ornabant, ut aliis placerent, ut notat D. Thomas ex „ glossa, vel certe propter ædificationem Ethnicorum expediebat illo tem- „ pore præcipi. " *Ibidem numer.* 114. Relatæ sunt Tom. II. Theolog. Christian.

4. „ Fas est etiam viro honorato occidere invasorem, qui fustem, vel „ alapam nititur impingere, ut ignominiam inferat; si aliter hæc ignomi- „ nia vitari nequit. " *Lib.* 2. *Cap.* 9. *Dub.* 12. *n.* 77. *pag.* 81.

5. „ Si contumeliis afficias, sive per verba, sive per signa; hic etiam „ est jus defensionis. Nam ex sententia omnium licet contumeliosum oc- „ cidere, quando aliter ea injuria arceri nequit (quamquam ipse armis „ non invadat) ait Petrus Navarra Lib. 2. Cap. 3. n. 376. Etsi autem id „ non inveniam apud Auctores expressum, tamen videtur ex illis posse „ colligi (præciso scandalo, & aliis incommodis gravibus) quando con- „ tumeliæ sunt atroces, & alia ratione vitari nequeunt. " *Ibidem numer.* 78.

6. „ Si illata alicui alapa cessas, vel etiam fugias; multi DD. censent „ in hoc casu, si vir nobilis, vel honoratus hujusmodi injuria sit affectus, „ posse statim repercutere, vel fugientem insequi, & tantum infligere „ verberum, vel vulnerum, quantum putatur necessarium ad honorem „ recuperandum .... Hæc sententia est speculative probabilis, tamen in „ praxi non videtur facile permittenda. " *Ibidem num.* 79. & 80. Relatæ sunt Tom. IV. Theolog. Christian.

7. „ Usus vestis alieni sexus non est intrinsece malus, unde ob causam „ justam fieri potest. V. G. si alia desit, vel opus sit occultari ab hoste, „ *vel causa repræsentationis*, ut in Comœdiis. " *Lib.* 4. *Cap.* 4. *Dub.* 14. *n.* 114. *pag.* 666.

8. „ Si, re accepta fugias; tunc possum insequi, & ferire; vel si neces- „ se sit, eminus telo petere; si invadas res meas per famulum, vel arte „ magica per dæmonem, nec alia ratione, quam nece tua possit impedi- „ ri; si conjuraveris in mea damna; si impedias inique meos creditores, „ ne mihi satisfaciant; si falsa accusatione, vel falso testimonio me for- „ tunis coneris evertere, nec alia ratio impediendi suppetat. " *Lib.* 2. *de Justit. Cap.* 9. *Dub.* 2. *n.* 73. & 75. *pag.* 81.

9. „ Si tu alium injuste infamasti, qui te antea infamaverat, non tene- „ ris ei ad restitutionem, si ipse tibi restituere nolit; sed potes uti com- „ pensatione, servata tamen æqualitate, quantum fieri potest. " *Lib.* 2. *Just. cap.* 11. *Dub.* 25. *n.* 133. *pag.* 111.

10. „ Etsi opus malum, pro quo dedit, non sit æstimabile pretio, „ qua malum; tamen qua delectabile, vel utile uni, & alteri detrimen- „ tosum, periculosum, laboriosum, inter homines pretio æstimatur: er-

„ go quod hac ratione pro eo est acceptum, non est restituendum, nisi „ forte quis communem æstimationem excesserit, ut si meretrix, quæ usuram sui concedere solet uno aureo, ab aliquo juvene extorserit 50. tanquam pretium. *Hoc* tamen *locum* non *habet in ea*, *quæ putatur honesta*, „ *ut si Matrona aliqua*, *vel filia* 100. *aureos* pro usura corporis accipiat ab „ eo, qui dare poterat, retinere potest. Nam tanti, & pluris potest suam „ pudicitiam æstimare. Res enim, quæ certum pretium non habent, nec „ ad vitam sunt necessariæ, sed voluptatis causa quæruntur, arbitrio venditoris possunt æstimari, ut probabiliter docet Petrus Navarra, & alii. “ *Lib.* 2. *de Just. Cap.* 14. *Dub.* 8. *n.* 52. *pag.* 145. Relata est Tom. VII. Theolog. Christian.

11. „ Dices. D. Augustinus Epistola quinquagesima quarta ad Macedonium ait: *sceleratius accipi pecuniam pro sententia injusta*, *quam pro justa*, „ *pro testimonio falso*, *quam testimonio vero*. Atqui pecunia accepta pro sententia justa est restituenda. Ergo & pro sententia injusta. Ita Sotus.

„ Resp. negando consequentiam. Non enim quia aliquid est sceleratius, „ ideo magis, vel æque obligat ad restitutionem. Hæc enim obligatio „ non sequitur magnitudinem sceleris, sed damnum per injuriam datum. *At qui accipit pro sententia injusta*, *nullam infert injuriam danti*, sicut is, qui pro justa. Porro illud est sceleratius quam hoc: tum quia „ pejus est ferre sententiam injustam (ad quam ferendam jam habet animum qui pecuniam accipit) propter injuriam, quæ fit alteri parti, „ quam accipere pecuniam pro sententia justa ferenda: tum quia, (ut ibidem Augustinus ait) sceleratius datur pro injusta, quam pro justa, „ quamvis detur voluntarie, & libenter. Loquitur enim de sententia ferenda. Adde, ibidem Augustinum significare, pecuniam istam, etsi sceleratius acceptam, non esse opere impleto restituendam, dum dicit *datam a volentibus*. Volenti enim non fit injuria. Secus si data sit pro sententia justa, quia censetur data *coacte*, metu sententiæ injustæ. “ *Lib.* 2. *de Justit. Cap.* 14. *dub.* 8. *num.* 55. *pag.* 145. Relata est Tom. VII. Theolog. Christian.

12. Tertio si heres ab intestato retineat hereditatem, & legata, possunt „ illi, quibus aliquid per tale testamentum erat relictum, uti occulta compensatione: nam revera res illæ erant ipsorum. Silvester Verbo Hereditas. “ *Lib.* 2. *Cap.* 19. *dub.* 3. *nu.* 22. *pag.* 197. Relata est Tom. VII. Theolog. Christian.

13. „ Tertio heres ab intestato potest illud retinere: &, si alter possidet, repetere in judicio. Quarto quod si non possit ob potentiam adversarii, uti potest occulta compensatione. “ *Loc. cit. n.* 30. *p.* 198.

14. „ Quando famulus nihil petit stipendii, immo expresse respuit in suo corde omnem intentionem petendi, & servit sperans a domino aliquod officium,

„ vel

„ vel beneficium sibi procurandum, quando dominus id procuraverit, etsi „ nihil obtinuerit, non potest quidquam vel petere, vel compensare. Si „ vero dominus nihil procuraverit, quia vitandæ labis simoniacæ causa pro„ curare noluit, aut ob alias causas, potest petere stipendium more pa„ triæ consuetum, & si non det, licite sibi consulet honesta compensatio„ ne.... Secunda pars prob. quia etsi habuerit intentionem non petendi „ quidquam: tamen cum ea intentio *non sit votum*, per eam non ademit sibi „ potestatem acquirendi id ad quod jus habet. Gars. & Lessius apud „ Matthæum Moja." *Tom. II. select. qq. Tract. 6. Miscel. Disp. 4. quæst. 3. pag. 317. edit. Matriti 1695.*

15. „ Huic quæsito, *utrum compensari infamia possit occulta pecuniarum „ retentione, vel surreptione?* Respondet. Probabile est hanc compensatio„ nem fieri posse: quia *probabilis est* ea sententia, quæ asserit infamiam „ pecunia esse compensandam, quando in suo genere non restituitur." *Lib. II. cap. 11. dub. 25. n. 136.* Relata est Tom. VII. Theolog. Christian.

16. Si aliquid accipiat (Judex), ut hanc potius, quam illam in judicando sequatur, videtur non peccare... „ Quia non tenetur ad alteram „ determinate; sed liberum ei est sequi quam maluerit. Ergo si aliquid „ accipiat, ut hanc sequatur potius, quam illam, non facit ulli injuriam. „ Consequentia patet. Quia cum res non est debita, non est contra justi„ tiam, si solum jus naturæ spectemus, exigere pro ea pretium, si alioquin „ pretio sit æstimabilis. Tertio quia non accipit pretium pro justitia „ sententiæ, sed quia in hac causa hanc opinionem præfert isti, ad quod „ nullo modo tenebatur. Hoc autem est pretio æstimabile: tum quia uti„ lissimum parti, tum quia sequendo hanc opinionem omittit favorem alte„ rius partis, cui potuisset gratificari." *Lib. II. cap. XIV. Dub. 9. n. 64. pag. 146.* Relata est Tom. VII. Theolog. Christian.

17. „ Adverte tamen hunc modum contrahendi sæpe non carere culpa „ in mercatore, qui ex COMPOSITO ita vendit, ut pretio infimo re„ dimat. Nam primo peccare potest contra caritatem; ut si cogat mise„ rum aliquem hominem emere merces, quibus non eget, magno illius „ dispendio, cum possit illi facile, & absque suo incommodo mutuum da„ re. Secundo peccare potest præbendo malum exemplum. Nam contra„ ctus ille habet speciem mali, & suspicionem usuræ. Tertio se ipsum, „ & suos infamando. *Non tamen tenetur ad restitutionem, ut inquit Navar„ rus: quod intelige non teneri ex justitia*, sed fieri potest ut teneatur ex ca„ ritate." *Lib. II. c. XXI. Dub. 16. n. 131. p. 241.* Relata est Tom. VII. Theolog. Christian.

18. „ *Utrum ratione carentiæ pecuniæ, seu obligationis non repetendi ante „ certum tempus aliquid exigi possit?* .. Num. 123. Tertio probatur hæc sen„ tentia. Quia sicut aliis rebus, & oneribus potest aliquod pretium im-

„ poni, ita etiam oneri *carendi* sua pecunia tanto, vel tanto tempore. „ Cum enim pecunia sit instrumentum negotiandi, & privare se instru- „ mento suæ artis sit pecunia æstimabile: cur non etiam mercatores po- „ terunt carentiæ pecuniæ pretium aliquod communi consensu imponere, „ præsertim si ratio boni communis id postulet. *Addit tamen:* quia sententia „ illa videtur nova, nec illam apud Auctores reperio, ac proinde in re „ morali tanti momenti, non *facile* admittenda. " *Lib. II. cap.* xx. *Dub.* 14. *pag.* 216. Relata est Tom. VII. Theolog. Christian.

19. „ Adverte tamen, si revera ex mutuo tibi damnum impendeat, v. g. „ si ex mutuo 100. aureorum certo sis accepturus detrimentum aureorum „ decem, non erit usuræ peccatum, etiamsi, *non monito* mutuatario de „ hoc damno, paciscaris tibi reddendi 110. " *Lib. II. cap.* xx. *Dub.* 10. *n.* 74. *pag.* 210. Relata est Tom. VII. Theolog. Christian.

20. „ Tertius modus est. Si pecuniam destinarim negotiationi, non ab- „ solute, sed dumtaxat sub conditione; ut si dicam vellem negotiari, ni- „ si multi mutuum peterent: de quo modo est difficultas. Quidam enim „ Doctissimi viri putant etiam tunc posse aliquid exigi ratione lucri ces- „ santis. " Post quinque rationes in præsidium hujus opinioni allatas sic concludit num. 95.

„ Ob has rationes hæc sententia mihi olim visa est probabilis, & et- „ iam nunc videtur, præsertim speculative considerata, modo ille non exi- „ gat amplius quam spes illa lucri, detracta laborum, & expensarum „ æstimatione, valebat; & semper retineat animum negotiandi illa pe- „ cunia, si mutuum non peteretur. In praxi tamen ob periculum pal- „ liandi usuras non est facile admittenda, post factum tamen non au- „ sim cogere ad restitutionem. " *Loc. cit. Dub.* 11. *n.* 90. *pag.* 213.

21. „ Quidam DD. existimant id esse injustum, & palliatam usuram, „ quando idem redimit, qui vendidit. *Sed verius est non esse injustum*, etiam „ si redimat ipse venditor, modo intra limites justi pretii consistat.... „ Ratio est, quia & venditio *prima* justa est, cum fiat justo pretio, quam- „ vis summo, & *secunda* etiam justa est, quia eædem merces revenduntur. „ Nec refert, quod hæc revenditio fiat pretio infimo: tum quia pretium „ infimum est etiam justum, præsertim in numerata pecunia: tum quia „ merces, quæ a venditore ingeruntur, vilescunt. Nec etiam refert quod idem „ sit emptor, qui ante erat venditor. Quia si alius quivis poterat illo pretio „ emere, cur non & ille, qui vendidit? " *Lib. 2. Cap. 21. Dub. 16. n. 130. p. 241.*

22. „ Petes utrum id, quod campsoribus debetur ratione provisionum, & „ interesse, possit ab ipsis continenter adjici sorti ut cambium augeant? „ Resp. id fieri non posse, nisi moraliter certi sint se illud lucrari. Tunc „ enim ratione lucri cessantis possunt illud sorti unire ad cambii augmen- „ tum. " *Lib. 2. cap. 23. dub. 9. n. 85. p. 266.*

Hæ

Hæ autem relatæ sunt Tom.VII. Theolog Christian. in Catalogo. Unam infelici conatu tentavit defendere P. Carolus Nocetius.

§. XIV.

Cardinalis Joannis de Lugo Societatis Jesu propositiones laxæ.

1. „ Dubium tamen est an quando sub jure jurando promisisti debitum „ solvere, possis adhuc compensatione uti. Negant plures Juri- „ stæ, quos refert, & sequitur Gutierrez de jur. confirm. part. 3. cap. 6. „ a num. 3. Quod probant primo ex Cap. *ad nostrum* de jurejurando. Se- „ cundo quia qui juramento promisit solvere usuras, tenetur ex vi jura- „ menti eas solvere usurario, ut constat ex Cap. *Debitores* de jurejurando, „ licet eas ex justitia retinere posset: ergo juramentum impedit compen- „ sationem alioquin licitam. Contrariam sententiam docent Bartolus in „ leg. *amplius* rem ratam haberi. Panorm. in dicto *Cap. ad nostram*, & alii, „ quos refert, & sequitur Covarru: in Cap. *quamvis pactum* part. 1. §. 4. „ n. 9. Alii melius distinguunt. Si enim promisisti explicite, vel implici- „ te non solum solvere, sed etiam non uti compensatione, plane juramen- „ tum ad id totum obligat. Si autem solum promisisti solvere, & hoc ju- „ ramento confirmasti, adhuc poteris compensatione uti. Ita Molina ubi „ supra n. 9. cum Joanne Medina cod. de vestit. quæ 3. causa 12. Ratio „ est, quia si voluisti te obligare ad non compensandum, etiam secluso „ juramento, ad id teneris, ut diximus; ergo multo magis accedente ju- „ ramento. Porro eam fuisse tuam mentem colligi poterit aliquando ex cir- „ cumstantiis, in quibus ad securitatem creditoris, qui forte timebat ne pro- „ pter compensationem ipsi non solveres, hanc promissionem petiit. Si ve- „ ro de compensatione excludenda non cogitasti, juramentum licet addat „ novum vinculum, non tamen obligat ad aliud objectum novum. Solum „ enim confirmat promissionem: ergo ad id solum obligat quod erat ob- „ jectum promissionis. Promissio autem solvendi non excludit compensa- „ tionem: nam qui compensat vere solvit, ut supra diximus: ergo satisfacit „ etiam juramento, quo se ad solvendum obligavit." *Tom. I. de Justit. & Jure Disp. 16. Sect. 6. n. 117. p. 444. edit. Lugdun. 1646.*

2. „ Utrum valeas uti compensatione præsenti pro debito futuro?

„ Respondet, aliquando tamen licere creditori prævenire, & compensare „ sibi nunc pro eo quod Petrus nondum debet, *sed debebit post mensem v.* „ *g.* & prudenter creditor timet, non sibi solvendum. Affirmant Tannerus „ 2. 2. Disp. 4. q. 6. Dub. 14. n. 406. & Dian. dicta Resol. 48... Cete- „ rum quidquid sit de foro externo, in quo lex illa procedere videtur, in „ foro interno probabilis videtur sententia illorum Doctorum, ut possit cre- „ di-

„ ditor compensare sibi ante tempus pro debito *futuro* duplici conditione
„ posita. " *Tom. I. De justit. & jure Disp. 16. Sect. 5. n. 93. p.* 437.

3. „ Infertur tertio, neque etiam reddi injustum hunc contractum (*mohatræ*) ex natura rei per hoc, quod venditor suam intentionem manifestet
„ emptori dicendo : Ego libere tibi credito vendo has merces, si tamen
„ volueris eas postea viliori pretio mihi vendere ad habendam pecuniam
„ præsentem, ego paratus sum ad eas emendas; dum tamen aliquod pa-
„ ctum implicitum sub hac manifestatione non includatur." *Tom. 2. De Just. Disput. 26. Sect. 13. n.* 208.

4. „ Ceterum cum hoc stat, quod ipsum periculum sit damnum diver-
„ sum a sorte, & pro quo possit aliquid ex pacto præcedenti exigi. Nega-
„ ri enim non potest, quod licet debitum postea recuperetur, molestiam
„ tamen mutuandi attulerit periculum illud, & timor amittendi sortem.
„ Sicut ergo mutuum quod dari non potest sine corporis, vel mentis labo-
„ re, vel molestia affert titulum ad exigendum aliquid ultra sortem pro
„ illo labore, vel molestia; ita si in his circumstantiis non potes *mutuare*
„ sine molestia, & timore amittendi sortem, poteris pro hac molestia sub-
„ eunda aliquid exigere.

„ Ratio autem a priori est: quia labor, & dolor mentis licet non sint in
„ genere bonorum fortunæ, & ideo injuriæ circa illos illatæ non obligent
„ ex se ad compensandum pecuniis, sunt tamen *aliquid*, quod in pactum de-
„ duci potest, ut pecuniis compensetur. Sicut enim pro labore corporis
„ potes pretium exigere, ita & pro labore mentis; & sicut potes exigere
„ pretium, ut aliquis sit tibi causa doloris capitis, quanti doloris illius mo-
„ lestia æstimari possit; ita pro molestia, & angore mentis subeundo pote-
„ ris pretium exigere, cum non minus, sed magis aliquando cruciet quam
„ dolor corporis. *Si ergo posses ultra sortem exigere quando mutuum futurum*
„ *tibi esset causa doloris capitis, poteris etiam exigere, quando mutuum futurum*
„ *tibi esset causa doloris, & timoris interni propter periculum sortis amittendæ:*
„ *quia dolor ille, & timor prout contradistinctus a sorte ipsa, est aliquid, quod*
„ *in pactum possit pro pretio afferri.*" *Tom. 2. De Justit. & Jure Disput. 25. Sect. 81. n. 6. p.* 257.

5. „ Cum enim ratio licite exigendi aliquid propter periculum, sit, quia
„ mutuans non potest hic, & nunc mutuare, quin subeat molestiam illam,
„ & timorem; *parum* videtur referre, quod res ipsa, vel indoles mutuan-
„ tis, & ejus dispositio talem molestiam afferat. *Quia si ego quia claudus*
„ *v. g. sum, debeo subire peculiarem molestiam, ut pecunias ex domo afferam ad*
„ *tibi mutuandum, quam molestiam alii non subirent, possum bene* (N. B.)
„ *peculiare pretium exigere pro illa molestia a me subeunda. Si ergo similiter, quia*
„ *meticulosus sum, & pavidus, non possum tibi mutuare sine magno angore & ti-*
„ *more amittendæ sortis, videtur quod possim aliquid exigere pro hac molestia, &*
„ one-

„ *onere, sine quo ego tibi mutuare non possum. Hoc tamen aliorum judicio relin-*
„ *quo.* " *Loc. citat. n. 85. p. 258.*

6. „ Circa eamdem conditionem quæritur secundo, an dicatur lucrum „ cessare mutui causa, ita ut pro eo possit aliquid a mutuatario exigi, quan- „ do aliquis servavit aliquam pecuniam apud se, quam ideo noluit ad ne- „ gotiationem applicare, ut haberet ad manus pecuniam pro iis, qui mutuo peterent. . . . .

„ Lessius n. 88., & sequentibus hunc casum dividit in alios duos.

„ Primus est, quando scio te postea petiturum mutuum, & in gratiam „ tui subtraho negotiationi pecuniam aliquam, ut possim tibi postea mu- „ tuare, in quo casu dicit posse ultra sortem exigi . . . .

„ Secundus casus est, quando non scis de aliquo in particulari mutuum „ petituro; sed quia multi postea multo indigebunt, subtrahis pecuniam „ negotiationi, ut possis iis quicumque sint mutuare: quo casu dicit proba- „ bile videri, quod possit postea exigi lucrum cessans, præsertim speculati- „ ve loquendo, si animus retineatur negotiandi, si pecunia illa non mu- „ tuo daretur &c. . . . . . .

„ Claritatis gratia possumus primum casum in alios duos subdividere. „ (Post multa respondet n. 93.) Unde ad rationem dubitandi dicere pos- „ sumus, etiam tunc mutuum esse causam lucri cessantis, quod dupliciter „ explicari potest.

„ Primo in genere causæ finalis: ideo enim a negotiatione, & lucro præ- „ senti cessas, ut postea possis mihi mutuare. Nec videtur requiri quod „ mutuum sit causa efficiens, & antecedens PRIORITATE REALI cessa- „ tionem lucri; sed videtur sufficere quod in genere causæ finalis sit causa „ cessandi a lucro : sicut etiam NOSTRA salus & justificatio dicitur cau- „ sa passionis Christi, quia fuit finis propter quem Christus mortuus est. „ Nec minus gratus esse debeo ei, qui damnum patitur, ut me liberet, „ quam si me petente id patiatur; licet in primo casu mea liberatio sit „ causa finalis, & in secundo meæ preces sint causa moralis efficiens.

„ Secundo addere possumus, voluntatem mutuatarii futuram prævisam es- „ se causam moralem efficientem desistendi a lucro negotiationis.. Nam li- „ cet non movearis a mutuo prævisо futuro *absolute* ad subtrahendam pe- „ cuniam : non enim ideo desistis a negotiatione, quia mutuaturus es, sed „ ideo mutuaturus es, quia destitisti a negotiatione; sed tamen moveris a præ- „ visa voluntate mea futura petendi mutuum. Quare vere mea voluntas, „ & petitio mutui est causa moralis cessantis lucri, quod sufficit ad exigen- „ dum interesse &c. " *Disp. 25. Sect. 6. §. 1. n. 90. 91. p. 260.*

7. „ His suppositis circa utramque partem prioris casus dicendum vide- „ tur consequenter, in posteriori etiam posse exigi lucrum cessans, quan- „ do nullus in particulari prævidetur mutuum petiturus, sed aliqui in com-

„ mu-

„ muni, in quorum gratiam pecuniam a negotiatione subtraxisti, prout „ absolute, & sine scrupulo id concessit Malderus . . . . Ratio ex di- „ ctis colligi potest : quia inter hunc secundum casum, & primum ea sola „ differentia esse videtur, quod in primo ego in particulari prævisus fue- „ rim mutuum petiturus : in secundo autem non sim ego prævisus in „ particulari, sed aliqui in confuso, & indeterminate. Hoc autem ad pro- „ positum parum referre videtur.... Quod explicari potest exemplo supra „ adducto PASSIONIS CHRISTI. Licet enim Christus ante voluntatem „ patiendi, non præviderit determinate peccatum futurum hujus hominis, „ sed aliquos homines mortaliter peccaturos, ad quorum justificationem „ voluit sanguinis pretium persolvere : adhuc vere dicitur peccatum hujus „ hominis fuisse causa, ut pateretur. Ratio autem est, quia sub illa distin- „ ctione cognoscuntur omnia futura disjunctim, & ita volendo mori pro „ his liberandis, qui peccaturi erant, voluit mori pro hoc, si hic de facto „ peccat. Si ergo vis reservare pecuniam pro illo, qui petiturus est, qui- „ cumque ille sit, prævidens aliquem petiturum , pro illo de facto voluisti „ reservare, quamvis indeterminate cognito. “ *Loc. cit. n. 94. p. 261.*

8. „ Ille, qui per plura perjuria comparat consuetudinem pejerandi, eo „ ipso constituit se in periculo, & occasione proxima pejerandi postea, & „ peccandi iterum. Ergo debet in confessione explicare illam circumstan- „ tiam consuetudinis, quatenus includit periculum morale, & occasionem „ proximam ad peccata subsequentia . . . .

„ Adhuc tamen regulariter non videtur necessario explicanda illa cir- „ cumstantia : *tum quia homines non attendunt communiter ad illud periculum* „ *morale sequentis peccati*, quando aliquod peccatum committunt, nec faci- „ le discerni potest, quando consuetudo perveniet ad eum gradum, ut in- „ ducat jam occasionem moralem proximam aliorum subsequentium pec- „ catorum : *tum etiam quia exponere se periculo fornicationis v. g. non ha-* „ *bet malitiam specie diversam ab ipsa fornicatione*. Cum ergo explicuit in „ confessione præcedenti suam fornicationem, jam explicuit totam malitiam „ specificam illius peccati. *Nam circumstantia illa periculi, quod subiit alte-* „ *rius fornicationis*, non addit malitiam specie diversam, licet aggravet „ intra eamdem speciem. Unde regulariter non videtur obligandus pœni- „ tens ad fatendam necessario consuetudinem, nisi interrogetur. “ *Disp. 16. Sect. 4. §. 7. n. 202. de pænit. p. 341.*

9. „ Major difficultas esse potest de consuetudine posterioris generis, „ quæ scilicet est causa faciendi postea similes actus absque deliberatione „ sufficienti, vel advertentia. In quo casu certum in primis videtur actus „ subsequentes sine deliberatione præsenti factos, non esse nova peccata, „ sed solum esse peccata in sua causa, nempe in consuetudine præcedenti „ libere volita, seu esse effectus peccati, ut cum aliis probat Thomas

„ San-

„ Sanchez... Suarez... *Unde non erit necesse juramenta sequentia absque ad vertentia prolata in confessione explicare*, sed solam causam culpabiliter antea „ positam, nempe consuetudinem illam volitam, aut permissam, ut notat idem Sanchez. " *Ibidem n.* 204. 341.

10. „ De circumstantia sollicitantis feminam ad fornicationem, an sit „ explicanda; an vero sufficiat fateri fornicationem; placet, quod cum a„ liis docet Vasquez, non esse explicandam illam circumstantiam: quia „ illa malitia habetur, licet non ita gravis, quando aliquis non sollicitat: „ adhuc enim participat cum illa in suo peccato, & est causa coope„ rans ad ejus ruinam. " *De pœnit. Disput.* 16. *sect.* 3. *n.* 142. *pag.* 330. Relata sunt omnes Tom. VII. & IX. Theolog. Christian.

§. XV.

P. Ludovici Molinæ Soc. Jesu propositiones laxæ.

1. „ ET quidem Epicurus, ut est apud Ciceronem Lib. I. de natura „ Deorum, in ea fuit sententia, ut affirmaverit gentes omnes per„ ceptionem quamdam (quam ipse prolepsim appellat) habere, quod Deus „ sit, naturaliter hominum animis sine lege, sine more, sine instituto, aut „ sine doctrina insertam, quam sententiam sequitur eo in loco Tullius. " *In prim. part D. Th. quæst.* 2. *art.* 1. *edit. Lugdunen.* 1593.

Verum hæc Epicuri, & Ciceronis doctrina nimis rigida illi visa est: idcirco subdit.

2. „ Ex dictis colligi potest tam rudes, & incultos posse aliquos homi„ nes esse, *ut maxima cum probabilitate* affirmare possimus, in eis *ignoran„ tiam invincibilem Dei* posse reperiri. Quod primo, & secundo cum „ de ignorantia ageremus, observavimus. Porro ea ignoratione ex„ cusabuntur a peccato infidelitatis, & quod Deum non colant, nec „ ei honorem debitum exhibeant, *non erit eis culpæ tribuendum.* " *Ibidem pag.* 39.

3. „ Quando unus alterum injuste infamavit, neque, ut tenebatur, vel„ let eam famam illi restituere, tunc injuste infamatus, qui damnum in „ fama alteri non dedisset, posset *in pecunia* compensare damnum famæ „ in quo est, idque non solum non solvendo debitum aliquod occultum, „ quantum ad æqualitatem sufficere judicaretur ad competentem compen„ sationem famæ in qua est, sed etiam *occulte accipiendo de novo, quan„ tum sibi satis esset ad eamdem compensationem*, dummodo non interveniret „ scandalum, & aliter commode obtinere non posset restitutionem suæ fa„ mæ, & denique dummodo intervenirent conditiones omnes requisitæ ut „ licite in conscientiæ foro fiat occulta compensatio debiti. " *Tom. IV. De*

 just.

just. & jur. Disput. 49. *n.* 5. *pag.* 492. *edit. Colon. Allobrog.* Relata est Tom. VII. Theolog. Christian.

Hinc infertur, quod si domini servorum famam denigrent contumeliosis verbis; isti tantum surripere dominis pecuniæ valeant, quantum sat est suæ famæ redintegrandæ.

4. „ Nos pro nostra tenuitate rationem totam aptam conciliandi liber-„ tatem arbitrii cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione, quam „ toto art. 13. quæst. XIV. & art. 6. quæst. XIX. & quæst. XXII. & tota hac „ quæstione tradidimus, sequentibus principiis, ex quibus eam deduxi-„ mus, quæque in variis locis tradidimus, inniti judicamus. *Quæ si da-„ ta, explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta*, „ neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi „ negare, obtendentes cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione „ cohærere non posse. *Neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pe-„ lagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent*. Facileque „ reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epistolis Prosperi, & „ Hilarii fit mentio, fuissent extinctæ, ut patet ex iis, in quibus homi-„ nes illos cum Catholicis convenisse, & ab eis dissensisse eædem Episto-„ læ testantur. Concertationes denique inter Catholicos facile fuissent com-„ positæ. *In Concord. quæst.* XXIII. *art.* 4. & 5. *memb. ult. pag.* 394. *edit Antuerp. an.* 1695. *& in appendice ad t.* 2. *in p. p. D. Th. dictæ edit. pag.* 857. Relata est Tom. VI. pag. 182.

§. XVI.

P. Matthæi Moya Soc. Jesu propositiones laxæ.

1. „ Licitum esse delectationem moderatam gustus (sicut & olfactus, „ & auditus) *directe* intendere, & propter illam captandam co-„ medere, bibere, docent non pauci, nec infimæ notæ Doctores. Quo-„ rum sententia probabilis mihi est. *In quæst. Select. Tract.* 6. *Miscel. Disp.* 2. *q.* „ III. §. 1. *n.* 5. *p.* 450. *edit. Matrit.* 1695. Relata est Tom. I. Theolog. Christian.

2. „ Quamvis plures, & gravissimi Doctores sentiant desiderium ineffi-„ cax mortis alienæ ob utilitatem propriam, v. g. ob hereditatem capien-„ dam, vel ob alia motiva longe minoris momenti vitæ proximi esse pec-„ catum mortale.... nihilominus contraria sententia est mihi probabi-„ lior. " *Ibidem Tom. I. Tract.* 6. *Disp.* 6. *q.* V. §. 2. *n.* 8. *pag.* 541. Relata est loc. cit. Theolog. Christian.

3. „ Potest enim ab initio invasus non fugere, ut honoris jacturam non „ faciat, licet fuga extremum vitæ periculum vitaret. " *Tom. I. Tract.* 6. *Disp.* 6. *pag.* 6. *quæst.* IV. §. 5. *n.* 26.

4. „ An

4. „ An liceat inducere aliquem ut juret quod putat esse verum, licet „ inducens sciat esset falsum?... Prima, & communis Doctorum sententia illicitum putat... ceterum contraria est probabilis.... & ego puto „ in praxi securam. " *Ibidem Tom. II. Tract. 2. de Relig. Disp. 1. q.* VII. *n.* 1. & 2. *pag.* 116. Relata est Tom. III. Theolog. Christian.

5. „ Prima sententia asserit habentem occasionem proximam absolvi „ non posse, nisi prius eam reliquerit, nec ejus proposito fidendum... „ Contrariam vero sententiam tuentur viri doctissimi Suarez Disp. 32. Sect. „ 3. Joannes Sanctius in selectis Disp. 10. §. 4. Tabiena Verbo concubinatus „ n. 2. Quam veriorem censeo. " *Tom. I. Tract.* 3. *Disp.* 7. *quæst.* v. *num.* 5. *pag.* 300.

6. „ Non est cur ob metum saltem mortis non liceat simulatione hu- „ jusmodi in omnibus sacramentis uti. Hinc si hæreticus (non in odium „ fidei) minaretur mortem Sacerdoti, nisi omnem panem in foro exi- „ stentem consecraret, posset ille consecrationis verba proferre absque „ intentione consecrandi, *absque ullo peccato* contra religionem, vel ju- „ stitiam, & absque ulla mendacii labe. " *Quæst. Select. Tom. I. Tract.* 4. *Miscellan. quæst.* 11. §. 3. *n.* 13. & 14. *pag.* 352. Relata est Tom. VIII Theolog. Christian.

7. „ Unde facile diluitur fundamentum asserentium esse peccatum venia- „ le, eo quod sit spiritualis quædam prodigalitas se privare tanto fructu „ hujus sacramenti, (Confirmationis) quando quis commode percipere „ potest. Quæ quidem ratio nimium probat, ac proinde nihil. " *Quæst. Select. Tom. p. Tract.* 4. *Miscellan. de Sacramen. quæst.* XI. *n.* 7. *p.* 386. Relata est Tom. VIII. Theolog. Christian.

„ 8. Ex eo quod non detur præceptum Confirmationis per se loquendo, „ inferunt non esse venialem ejus omissionem. Ergo ex eo quod nullum „ detur præceptum prohibens suscipere Ordines, non præcedente Confir- „ matione, infertur similiter non esse veniale ante Confirmationem illos „ recipere. " *Loc. cit. n.* 11. *pag.* 387. Relata est ut supra Tom. VIII. Theolog. Christian.

9. „ Dum infidelis sibi persuasum habet suam sectam esse probabilem, „ quamvis contraria sit probabilior, tenetur utique in articulo mortis con- „ stitutus veram fidem, quam probabiliorem judicat, amplecti, utpote qui „ in eo articulo est constitutus, in quo de extrema salute agitur, ac pro- „ inde partem, quam tutiorem, & probabiliorem judicat, amplecti tene- „ tur. At extra hunc articulum non tenetur, quod adhuc prudenter existimet „ se posse in sua secta perseverare, tempusque rei melius examinandæ su- „ persit. " *Tom. II. Tract.* 6. *p.* 5. *quæst.* 2. §. 1. *n.* 1. *pag.* 345.

10. „ En quot Doctores militent pro sententia Tanneri, cujus unius au- „ ctoritas ad efficiendam probabilem juxta doctrinam Doctissimi Marci

„ Serræ ex Ordine Prædicatorum 1. 2. quæst. xix. art. 6. . . . ubi ait
„ (Quamvis unus solus sit talis opinionis Auctor, si tamen Sapiens maxime cognitus, & probatus sit, sufficit ad illam probabilem efficiendam, nisi alias constet ab omnibus improbari.) Hæc ille, & merito. Nam unicum gravem Doctorem constituere opinionem extrinsece probabilem docent quatuor supra viginti Doctores, quos citatos sequitur Vericelli. " *Ex Tract. de opinion. Prob. Prop.* 1. *sub nomine* Amadæi Guimenii.

Hanc doctrinam confirmat in *Qq. Selectis Tract.* 1. *quæst.* IV. §. 3. *n.* 10. *pag.* 8.

Plurimas exhibere ex hoc Auctore laxas opiniones possem: verum cum severissime proscriptus ab Apostolica Sede sit, ejusque opera flammis addicta, non expedit ut alias transcribam.

§. XVII.

P. Thomæ Sanchez Soc. Jesu propositiones laxæ.

1. „ Et quidem in praxi existimo nunquam, aut rarissime denegandam absolutionem ob doctrinæ Christianæ ignorantiam: quia rustici ignorantes non habent commode doctorem, & Confessor potest illos instruere, nec ipsi majorem addiscendi capacitatem habent, immo (ut n. 23. dicemus) hæc perfecta instructio non est necessaria ad eos absolvendos . . . . . n. 23. Immo in rigore etsi pœnitens bona valetudine utatur, non tenetur Confessarius eum instruere, procurando, ut tunc addiscat. " *Lib. II. in Decal. cap.* 5. *n.* 21. *&* 23. *edit. Venet.* 1612. *pag.* 100.

2. „ Dum infidelis sibi persuasum habet suam sectam esse probabilem, quamvis contraria sit probabilior, tenetur utique in articulo mortis constitutus, veram fidem, quam probabiliorem judicat, amplecti, utpote qui in eo articulo est constitutus, in quo de extrema salute agitur, ac proinde partem, quam tutiorem, & probabiliorem judicat, amplecti tenetur. At extra eum articulum non tenetur, quod adhuc prudenter existimet se posse in sua Secta perseverare: tempusque rei melius examinandæ superest. Adde mysteria fidei tam sublimia esse, ac Christianos mores adeo carnis, & sanguinis legibus repugnare, ut non quævis major probabilitas sufficiens reputetur ad inducendam credendi obligationem. " *Lib. II. in Decal. cap.* 1. *n.* 6. *pag.* 94. Relata est Tom. I. Theolog. Christian.

3. „ Quarto deducitur incurrere (excommunicationem) legentem, ac retinentem Librum Hæretici nondum Typis excusum... Addit Ugolinus

„ linus.... idem dicendum esse, si quis legat Epistolam Hæretici Hære„ ses continentem... Sed non placet, ac ita credo non incurrere legen„ tem, aut retinentem, aut imprimentem Epistolam, Concionem, aut a„ liam papyrum hæretici solutam, nec in Tractatus formam redactam. " *Lib. II. in Decal. cap.* x *n.* 28. *&* 29. *pag.* 125.

4. Tertium tempus est mortis articulo... Ceterum hoc non placet, ut„ pote quod nulla ratione aut textu probatur. Et ideo ex hac sola ar„ ticuli mortis ratione non teneretur ad fidei actum quispiam elicien„ dum, nisi concurrerent aliæ circumstantiæ, quæ tunc obligarent, ut „ graves fidei tentationes. " *Lib. II. in Decal. cap.* 1. *n.* 3. *pag.* 93.

5. „ Quartum tempus est semel singulis annis.... sed nec hoc tempus „ placet. Non enim ex voluntate Ecclesiæ, quæ illis Sacramentis reci„ piendis tempus anni præfixit, colligitur præcepta alia juris Divini affir„ mativa *obligare* semel in anno. Quippe hæc obligatio non est ex Ec„ clesiastico præcepto: nullibi enim reperitur, nec etiam ex divino. " *Ibidem pag.* 93.

6. „ Ultimum tempus est, quando tenetur quis gratiam amissam recu„ perare... hæc tamen obligatio actus fidei tunc eliciendi, *non est per* „ *se*, & ex vi hujus præcepti, sed per accidens ratione præcepti gratiæ „ recuperandæ tunc occurrentis. " *Ibidem*.

7. „ Si objicias hunc infantem baptizatum ac nutritum inter infideles, „ vel hæreticos, quando post rationis usum *adorat idola, vel hæreses pro*„ *fert*, peccare, atque fidei habitum in Baptismo receptum amittere. At „ nequit in baptizato amitti, nisi per hæresim. Respondeo hunc peccare „ adorando idola *contra jus naturæ dictans unum Deum colendum*, & simi„ liter proferendo hæreses, *quæ juri naturæ adversantur*, ut si dicat licere „ fornicari, nisi adeo rudis esset, ut invincibiliter hæc opponi juri naturæ „ ignoret. *At minime peccaret contra fidem* quam invincibiliter ignorat, at„ que proinde non amitteret habitum fidei, donec illi sufficienter proposi„ tam respueret. " *Ibidem n.* 8. *pag.* 94.

8. „ De præcepto spei... Varia igitur tempora assignantur a Doctoribus „ obligationis hujus præcepti. Primum tempus est, cum primum ratio„ nis usum puer assequatur... At verius est tunc non obligare. " *Lib. II. cap.* XXXIII. *n.* 3. *pag.* 293.

„ 9. Secundum tempus est cum obligatio occurrit pœnitentiæ de anteacta „ vita ad gratiam Dei obtinendam.... At in omnibus his eventibus non „ obligat præceptum spei per se, & ex vi hujus præcepti, sed per acci„ dens. " *Ibidem pag.* 293.

10. „ Tertium tempus est semel singulis annis. Ita Petrus Ledesma ibi „ Conc. 6. sicut idem dixit de præcepto fidei (ut ex ipso retuli D. C. „ 1. n. 3.) ubi & id reprobavi. Quare hoc non placet. " *Ibidem p.* 293.

11. „ U-

11. „ Ultimum tempus est, quando aliquis gravi desperationis tentatio-
„ ne vexatus in succumbendi periculo est, nisi actu spei contrario ani-
„ mum confirmet . . . At tunc non obligabit præceptum spei *per se ex vi*
„ *hujus præcepti* ; sed per accidens ratione præcepti superandæ illius ten-
„ tationis. " *Ibidem pag.* 293.

12. „ Quo tempore hoc præceptum dilectionis obliget, duplex est diffi-
„ cultas enodanda. Prior est, an id præceptum obliget statim, ac puer
„ usum rationis assequitur. Posterior, quibus aliis temporibus obliget.
„ Circa primam difficultatem quidam censent *tunc* obligare hoc præce-
„ ptum . . . At multo probabilius est id præceptum se tunc ad Deum con-
„ vertendi non esse, ac proinde nec præceptum diligendi tunc obliga-
„ re. " *Lib. 2. in Decal. Cap. 35. n. 6. & 7. pag.* 298.

13. „ Secundum tempus est, cum adultus baptizatur . . Sed non pla-
„ cet tunc obligare dilectionis Dei præceptum, etiam cum hac limitatio-
„ ne. " *Ibidem n. 9. pag.* 299.

14. „ Tertium tempus est cum quis contritionem habere tenetur . . At
„ tunc non obligat præceptum hoc per se, & ex vi hujus præcepti, sed
„ per accidens. " *Ibidem pag.* 299.

15. „ Quartum tempus est cum singulari beneficio a Deo afficitur . . .
„ At merito hunc casum reprobant Navar . . & Azor. " *Ibidem*.

16. „ Quintum tempus est quando alicui Martyrium subeundum est . . . .
„ Sed nec hoc tempus placet : quia satis est se oratione munire petendo
„ a Deo auxilium ad id opus, Martyriumve. Martyr enim esse quis
„ potest, etiamsi tunc dilectionis actum minime eliciat. " *Ibidem pag.*
300.

17. „ Octavum tempus est cum mortis articulus instat, quia cum tenta-
„ tiones Dæmonis, & machinationes acerrime infestent, tenetur homo a-
„ ctus dilectionis Dei præsidio adversus ea se communire . . . . Sed jure
„ optimo id reprobat Azor. . . quia aliis remediis potest se adversus eas
„ communire. " *Ibidem pag.* 300.

18. „ Ultimum tempus est cum graves odii Dei tentationes instant, &
„ periculum illis succumbendi adest, nisi tentatus actus amoris Dei eli-
„ ciat; & in HOC EVENTU existimo obligare præceptum hoc dilectio-
„ nis Dei super omnia, PER SE, & ex vi hujus præcepti. " *Ibidem pag.* 300.

Utrum hæc doctrina damnata, nedum laxa sit, judicet P. Carolus Nocetius. Si consulantur Evangelica verba, quibus Caritatis præceptum imponitur, relatæ propositiones horrorem (ut mihi videtur, ingerunt. Extenuant enim, sin exterminent theologicarum virtutum exercitia, & officia. Indicata hæc omnia sunt Tom. I. Theolog. Christian.

19. „ Decimo deducitur non peccare famulos aperientes jussu heri ja-
„ nuam

„ nuam domus concubinæ „ nec docentes ubi herus sit . . . Et similiter „ licere, si herus ascendere velit per fenestram ad rem habendam cum fe- „ mina, pedem sustinere, ut ascendere possit, aut scalam admovere, „ eamque tenere, aut humeris sustinere; dummodo tamen vitatio alicu- „ jus magni damni in famulo concurrat. " *Lib.* 1. *in Decal. Cap.* 7. *nu.* 30. *p.* 27. Indicata est Tom. II. Theolog. Christian.

20. „ Undecimo deducitur licere alicui mutuo dare nummos alteri, aut „ cubiculum *accommodare petenti ad fornicandum*, quando absque gravi de- „ trimento proprio proportionato denegare nequit. " *Lib.* 1. *Cap.* 7. *num.* 31. *pag.* 28.

21. „ Tandem deducitur pingentem imaginem puellæ petitione Ama- „ sii, quem credit probabiliter abusurum, peccare. Sic Azor . . Sed in- „ tellige juxta dicta, nisi causa legitima excuset. " *Ibidem numer.* 40. *pag.* 29.

22. „ Quod si loquamur de pretio accepto pro hoc judicio ferendo: „ Gratianus *Cap. Qui habetis* 14. *q.* 5. docet pauperibus restituendum tan- „ quam turpe lucrum. Sed distinguendum est sic. Si nullam operam ap- „ posuit, *ut arte diaboli* id sciret astrologus ille, quod nullo alio pacto sci- „ ri potuit, sive effectus evenerit, sive non, tenetur pretium restituere „ danti: quia nullam diligentiam adhibuit, sed casu effectus evenit, aut „ non evenit. At pecunia datur propter operam ab illo impensam, & „ quidem utilem ad effectum consequendum . . Sicut si medicinæ prorsus „ ignarus, aut inutilia ægro applicaret, teneretur pretium curationis ægro „ restituere, quamvis casu liber a morbo evaserit. Et quamvis consulens „ Astrologum in ea re deliquerit offerens pretium pro re turpi, verior „ sententia habet restituendum ipsi donec per sententiam condemnetur, „ ut id pretium amittat. *Si vero Astrologus ille, vel divinator operam suam* „ *apposuit, & arte DIABOLI res ita evenit, non tenetur pretium restituere, quia* „ *ipse suam operam etsi turpem apposuit*: & acceptum pro opere turpi non „ est obnoxium restitutioni juxta veriorem sententiam. Atque hæc omnia „ docet Navar. ibidem num. 163. & 164. & Manuel 1. Summæ 2. edi- „ tione cap. 7. num. 4. Salas 1. 2. q. 9. art. 5. Tract. 5. Disput. 11. Sec. „ 8. num. 79. in fine. Adduntque indistincte teneri pretium restituere, „ quando res non ita evenit. *Sed id non credo quando ipse diligentiam ad-* „ *hibuit arte DIABOLI ad eum effectum necessariam*: sicut medicus quando „ juxta artis præcepta medicatus est, non tenetur pretium restituere ægro „ pereunti: *quia ea diligentia a Mago illo apposita* (N. B.) *est pretio æstima-* „ *bilis*. Nec in hoc casu tenetur damna, & expensas consulenti restituere, „ sed tantum quando nullam operam impendit, *aut ejus* DIABOLICÆ ar- „ tis ignarus erat. " *Lib.* 2. *in Decal. Cap.* 38. *num.* 96. *p.* 320. Relata est Tom. III. Theolog. Christian.

23. „

23. „ Ad veritatem autem hujus juramenti assertorii exigitur, & satis
„ est, ut jurans ita rem se habere arbitretur prudenter, & non levi conje-
„ ctura ductus, sed certa, aut *verisimili*, atque *probabili*, ac proinde secun-
„ dum judicium jurantis consentaneum rationi, sive id a parte rei ve-
„ rum, sive falsum sit, quia hoc est moraliter certum esse. " *Lib. 3. in Decal. Cap. 4. num. 10. pag. 15.*

Ergo ex principiis Probabilisimi jurare poterit duo contradictoria vera esse.

24. „ Possunt quoque absque mendacio ea verba usurpari, etiamsi ex
„ sua significatione non sint ambigua, nec eum verum sensum admittant
„ ex se, nec ex circumstantiis occurrentibus; sed tantum verum sensum
„ reddant ex aliquo addito mente proferentis retento, quodcumque il-
„ lud sit, ut *Si quis* (hic incipit propositio *damnata ab Innocen.* XI.) *vel*
„ *solus, vel coram aliis sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis*
„ *gratia, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit,*
„ *intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam* (Sanchez
„ habet *aliam diem*: & hæc est vera lectio: mendum siquidem irrepsit in
„ propositionem damnatam) *vel quod vis aliud additum verum; revera non*
„ *mentitur, nec est perjurus*. (Hucusque propositio damnatas.) Sed tantum
„ (persequiturSanchez) non diceret unam veritatem determinatam, quam
„ audientes concipiunt, ac verba illa ex se significant, sed aliam veri-
„ tatem disparatam. " *Lib. 3. in Decal. cap. 6. n. 15. p. 27.*

25. „ Causa vero justa utendi his amphibologiis est, quoties id neces-
„ sarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares
„ tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis oc-
„ cultatio censeatur tunc expediens, ac studiosa. " *Ibidem numer. 19. pag. 28.*

26. „ Potest testis prædictis æquivocationibus uti, etiamsi alias juridice
„ rogetur, quotiescumque non tenetur ob aliquam causam ferre testimo-
„ nium, ut quia notabile damnum ipsi sequeretur &c. Quia cum ea causa
„ excusante non teneatur; vere dicit se nescire, non vidisse, nec audiis-
„ se, intelligendo, ita ut dicere teneatur. " *Ibidem num. 24. pag. 29.*

27. Quando taxa alicujus rei est injusta, si pluris vendens, aut de-
„ fraudans in pondere, & mensura, ita ut sibi satisfaciat pro pretii in-
„ justitia, & reddat correspondentes merces pretio dato, potest hic ro-
„ gatus a judice, an pluris vendiderit, vel defecerit in pondere, &
„ mensura, id negare, assererequè se pretio taxato vendidisse, & integre
„ pondus, & mensuram tradidisse intelligendo hæc: *ita ut pluris ven-*
„ *dens, aut deficiens in pondere, & mensura deliquerit. Quippe absque delicto*
„ *utrumque fecit*. Atque ita vere dicit se integre tradidisse, nempe qua-
„ tenus tenebatur eo pretio accepto, nec excessisse delinquendo. Atque
„ ad

„ ad hoc satis est *opinionem esse probabilem , eam taxam non obligare*. " *Ibidem num.* 29. *pag.* 30.

28. „ Quinto deducitur eum , cui licitum est aliqua bona abscondere, „ eo quod illis ad vitam sustentandam egeat , ne a creditoribus capian- „ tur , & sic cogatur mendicare , posse rogatum a judice jurare se nulla „ bona abscondita habere (atque idem possunt jurare id scientes , dum- „ modo ipsis constet, licite eum abscondere ad hunc finem) intelligendo „ secum non habere bona abscondita, quæ judici manifestare teneatur. " *Ibidem num.* 31. *pag.* 30.

29. „ Sexto deducitur , quoties quispiam a cujusvis debiti obligatione „ liber est , posse rogatum a judice de illo id negare intelligendo intra „ se, *ita ut debeat*, quia respondet ad debitam judicis mentem . Qua ra- „ tione optime Covarruvias , Cepola, & Azorius docent eum , qui num- „ mos mutuo acceptos solvit , posse a judice rogatum de mutuo , jurare „ se illud non accepisse , intelligendo , *ita ut teneatur solvere* . Idem do- „ cent Suarez , Paraldus , *Atque idem dicendum est, si quacumque alia ex* „ *causa ab eo mutuo solvendo liber esset*. Atque idem credo , si tunc non „ teneretur solvere , eo quod terminus ad quem mutuum datum fuit, non „ est impletus , vel præ paupertate excusatur debitor a tunc solvendo. " *Ibidem num.* 32. *pag.* 30.

30. „ Nono deducitur , creditorem virtute instrumenti publici exigen- „ tem coram judice debitum , vulgo *executando per la deuda* posse jureju- „ rando asserere quantitatem in eo instrumento contentam esse sibi debi- „ tam prout jurare jubetur . . . . etsi pars illius summæ debitæ soluta sibi „ sit; si tantundem pecuniæ , quantumdem solutum est, sit alia via sibi „ debitum , de quo nullum est instrumentum publicum , virtute cujus „ exigatur .... Hoc tamen intellige, nisi esset præjudicium alterius credi- „ toris. " *Ibidem num.* 36. *pag.* 31.

31. „ Decimo deducitur , si per injuriam extorqueatur promissio jura- „ ta alicujus pecuniæ dandæ , licere juranti uti hac æquivocatione : Ju- „ ro tibi me numeraturum pecuniam, intelligendo, ut ille casus *tibi* re- „ gatur a verbo *juro*; ita ut sensus sit : *Tibi juro fore ut numerem pecunias* , „ *sive tibi* , *sive alteri* : quod ea oratio patiatur utrumque sensum . " *Ibidem num.* 37. *pag.* 31.

32. „ Sed an liceat tunc jurare, retinendo mente hanc conditionem: *ju-* „ *ro me daturum*, *si tibi secluso juramento sum debitor?* Aliqui negant, ducti, „ quod ea verba hanc amphibologiam non patiantur in communi homi- „ num sensu . Cajetan. Aragon. Soto. At retenta nostra sententia numero „ *decimo quinto* tradita , dicendum *est id licere* . Quia nihil refert verba „ eam amphibologiam non pati, & cogit necessitas ea uti. " Porro n. 15. citato docet „ Cur ergo erit mendacium uti verbis ex se non ambiguis ,

„ si ex conditione in mente retenta verum sensum efficiunt ? . . Hoc est „ utilissimum ad tegenda multa, quæ tegere opus est, nec tegi absque mendacio possent, nisi modus hic esset licitus, quia verba ex se ambigua „ non passim inveniuntur. “ *Ibidem num.* 38. *pag.* 33.

33. „ Undecimo deducitur coactum aliquam accipere in sponsam, „ quam ducere non tenetur, posse jurare se accepturum, intelligendo „ intra se : *si teneor*, vel *si postea placuerit mihi.* “ *Ibidem numer.* 39. *pag.* 32.

34. „ Decimo tertio adulteram rogatam a marito, an adulterium admiserit, posse jurare, se non fregisse matrimonium . . . Similiter po- „ test jurare, se non fecisse, intelligendo intra se, ut tibi revelem. “ *Ibidem num.* 41. *pag.* 32.

35. „ Decimo quinto deducitur eum, a quo mutua pecunia petitur, „ quam revera habet, posse jurejurando affirmare se eam non habere in- „ telligendo intra se, *ut mutuo det*, quando non tenetur mutuare. Ita Na- „ varrus Philiarcus, Sayro ... At contrarium tenet Corduba, Lopez, Hen- „ riquez ..... At credo priorem sententiam esse veriorem, quo ad hoc, „ ut ille non sit perjurus, quia in suo sensu verum dicit; cum sensus sit : „ Non habeo, ut tibi mutuare velim. *Quare ad veritatem bujus jura-* „ *menti nibil refert an ille teneatur mutuare, nec ne* : *& ita non oportet addere* „ *illam limitationem, quam prædicti Doctores addunt, quando non tenetur mu-* „ *tuare*. “ *Ibidem num.* 43. *pag.* 32.

36. „ Ultimo deducitur pœnitentem temere rogatum an hoc, vel illud „ peccatum fassus sit, posse jurare, se non confessum, intelligendo, *ita ut* „ *teneatur illi explicare*. “ *Ibidem num.* 44. *pag.* 32.

Relatæ sunt Tom. III. Theolog. Christian.

37. „ An invincibiliter ignorans actum internum esse peccatum, cogno- „ scens tamen actum externum esse peccatum, excusetur a culpa actum „ solum internum admittens, ut si rusticus a viro existimato docto, ac „ pio audisset fornicationem, & furtum externa esse peccata, at licere for- „ nicandi, aut furandi desiderium, quibusdam *Neotericis doctis* videtur, „ hanc ignorantiam minime excusare, quod hic libere velit objectum ex- „ ternum, quod esse peccatum novit . . . . Quamvis hoc probabile sit, „ probabilius tamen credo, illum actum internum excusari omnino a ma- „ litia. “ *Lib.* 1. *in Decal. Cap.* 16. *num.* 16. & 17. *pag.* 77.

38. „ Quoties sive vere, sive ficte promittens matrimonium, immunis „ est ob *aliquam causam* ab implendi obligatione, (probavimus,) posse „ eum a judice vocatum *jurare* se non promisisse, intelligendo ita ut te- „ neatur implere. Quod . . . . dicimus procedere non tantum, quando est „ certa causa non implendi ; sed *etiam quoties sapientum judicio est pro-* „ *babile* non teneri servare. Quia potest *amplectendo opinionem probabilem*

„ exi-

„ existimare se tuta conscientia non obligatum. “ *Lib. 3. in Decal. Cap. 6. num. 32. pag. 31.*

39. „ Clericus rogatus a custodibus, an aliqua portet eo fine, ut gabel-
„ lam solvere compellatur, potest jurare se nihil portare, intelligendo ex
„ quo gabellam debeat. “ *Ibidem loc. citat. p. 31.*

40. „ Et item credo quoties laicus aliqua portat, aut habet, aut ven-
„ didit, ex quibus gabellam *aliqua ratione* non debet, aut non debet inte-
„ gram juxta probabilem opinionem. Potest enim juramento rogatus ne-
„ gare, se habere, portare, vendidisse eam solam quantitatem, e-
„ qua gabellam non debet, *intelligendo intra se* ita ut ex illa debeat. “ *Idem loc. citat. pag. 31.* Relatæ sunt Tom. IV. Theolog. Christian.

41. „ Vere impleret audiendi Sacri præceptum, illud ex contemptu au-
„ diens. Ergo a fortiori cum intentione non satisfaciendi. “ *Lib. 1. in Decal. Cap. 13. num. 13. pag. 70.*

42. „ Concionatores, qui in quadragesima concionantur ter, vel quater
„ in hebdomada, *communiter*, & *regulariter* excusantur, ita ut in nullo
„ die quadragesimæ teneantur jejunare . . . Quia hoc videtur requisitum
„ ad robur necessarium ad bene, & *fructuose* concionandum. “ *Lib. 5. Concil. Cap. 1. Dub. 13. num. 6. pag. 100. edit. Lugd. 1681.*

43. „ Existimo tamen probabilius esse licere in sacramentorum admini-
„ stratione uti opinione minus probabili relicta probabiliori, ac tuta, non
„ obstante irritandi sacramenti periculo, cum duplici tamen limitatione.
„ Prior est, ut sit in re, quæ non est contra communem Ecclesiæ usum
„ præscribentem, ut eo modo, & non aliter administrentur Sacramen-
„ ta . . . Posterior est ne pars minus tuta quamvis probabilior sit, dero-
„ get obligationi caritatis, & misericordiæ respicientis remedium proxi-
„ mi. “ *Lib. 1. in Decal. cap. 9. num. 33. p. 35.*

44. „ Quando opiniones circa jurisdictionem Sacerdotis ad audiendas
„ Confessiones versantur, atque opinio probabilis docet illam habere,
„ probabilior autem negat. Talis enim Sacerdos nullo modo peccabit
„ audiens Confessiones, ut optime ait Suarez. “ *Ibidem numer. 35. pag. 36.*

45. „ Sexto deducitur licere famulis cibos condire, ad mensamque mi-
„ nistrare, lectum sternere Concubinæ heri, quod bene docent Petrus de
„ Ledesma, Emanuel Sa: & similiter fas esse ornare heram meretricem,
„ tradunt bene Navarra, Emmanuel Sa, Azorius. “ *Lib. 1. in Decal. cap. 7. num. 24. pag. 26.*

46. „ Septimo deducitur quid dicendum sit de adductione Concubinæ in
„ heri domum, aliumve locum, in quo peccaturus est. Id tanquam in-
„ trinsece malum damnat Angles . . . At id excusat Azorius. Sed dicen-
„ dum est, id tripliciter posse contingere. Primo modo nullum internun-

„ tium heri deferente famulo, sed tantum concubinam comitanti, quia „ jam de adventu inter eos ipsos conventum erat: & in hoc casu, cum „ sit merus comitatus, & nihil referat, utrum illorum comitetur, idem „ dicendum est, quod diximus num. 22. de comitantibus ipsum. Secun- „ do modo contingit, non tantum comitando, sed active deferendo, ut „ in sella quadam. Et hoc proxime accedit ad peccatum, & ideo non „ sufficeret communis ratio famulatus, sed damnum notabile famuli eum „ herum deferendo exigitur. At in hoc casu id liceret." *Ibidem num. 25. pag. 26.*

47. „ Sicut ex causa justa liceret aurigæ deferre meretricem ab uno lo- „ co in alium, quamvis illuc petere norit ad invisendum amasium, & lu- „ crum meretricium parandum." *Ibidem.*

48. „ Octavo deducitur quid dicendum sit de famulis deferentibus scri- „ pta, vel internuntia ad heri concubinam. Quidam hoc tanquam in- „ trinsece malum damnant ..... Alii vero excusant a peccato famulos, „ qui ratione famulatus hæc internuntia, aut scripta deferunt, in quibus „ herus petit a concubina, ut ea nocte ad se veniat, etsi *norint velle*, „ ut veniat ad fornicandum." *Ibidem num. 26. pag. 27.*

49. „ Probabilius existimo ad ignorantiam, inadvertentiam, seu oblivio- „ nem sive juris, sive facti censenda invincibilia sufficere, ut nulla no- „ titia, nec specialis, nec confusa, nec aliqua dubitandi ratio in uni- „ versum, aut peculariter occurrat." *Lib. 1. in Decal. Cap. 16. num. 21. pag. 78.*

50. „ Quare nullum esse peccatum mortale in voluntatis consensu censeo, „ nisi cogitatio aliqua præcesserit, & *consideratio expressa*, *quam actualem* „ *vocant* malitiæ moralis, vel periculi, vel saltem expressa aliqua dubi- „ tatio, vel scrupulus. Itaque, ut quis peccet mortaliter, debet con- „ siderare, vel opus illud esse malum, vel ibi esse malitiæ pericu- „ lum, vel dubium, vel scrupulum saltem aliquem habere: quod si ni- „ hil horum præcesserit, ignorantia, inadvertentia, seu oblivio censentur „ omnino naturalia, & invincibilia, & sic juxta hanc sententiam, *non* „ *satis est cognitio illa virtualis* seu interpretativa, quam sufficere dicebat „ sententia numero præcedenti relata. Hanc sententiam optime tuetur „ Vasquez." *Ibidem pag. 78.*

51. „ Probabile est valere dispensationem Pontificis in *matrimonio rato* „ absque justa causa concessam.... Et ratio est, quia est probabile in- „ dissolubilitatem talis matrimonii esse de jure humano.." *Lib. 2. de Ma- trim. Disp. 15. num. 5. pag. 152. edit. Ven. 1606.*

52. „ Limitant aliqui hanc sententiam, nisi adirent ea loca in frau- „ dem Decreti Tridentini, ut ibi possent libere absque Parocho, & te- „ stibus matrimonio copulari: tunc enim ajunt esse invalidum ... Cete-

„ rum

„ rum displicet mihi hæc limitatio, & credo licet adirent eo fine, ut pos-
„ sent libere absque Parocho, & testibus contrahere esse, ratum matrimo-
„ nium. Primo. Nam qui utitur jure suo, non potest dici fraudem com-
„ mittere, ut ea ratione effectus impediatur. " *Lib.* 3. *Disp.* 18. *num.* 29. *pag.* 269.

53. „ Tertia conclusio. Culpa venialis est ea verba (ego conjungo vos
„ &c.) omittere. Probatur, quia materia non est gravis, cum ea verba
„ non sint forma sacramenti, *nec pertineant ad solemnitatem magni momen-*
„ *ti*, nec includant aliquod mysterium magnæ significationis. Præterea,
„ quamvis Tridentinum utatur verbis præceptivis; at sub illo præcepto
„ non continetur tantum, ut Parochus ea verba proferat, sed alia ma-
„ gni momenti, nempe ut præmittantur denunciationes, & ut matrimo-
„ nium celebretur coram Parocho, & testibus, ut habeat librum &c. " *Loc. Citat. Disp.* 38. *num.* 7. *pag.* 329.

54. „ Secundum communem sententiam liciti sunt amplexus & oscula
„ inter sponsos de futuro, eo quod sponsalia sunt initium quoddam ma-
„ trimonii, ac proinde concedunt jus utendi *voluptate præambula matri-*
„ *moniali*. Ergo per sponsalia acquiritur jus in corpus, alias nullus illius
„ *usus* concederetur, & consequenter violans hoc jus per fornicationem,
„ reus erit ultra fornicationem injustitiæ admissæ necessario aperiendæ in
„ confessione. Et hæc sententia est valde probabilis. " *Lib.* 1. *Disp.* 11. *nu.* 5. *pag.* 6.

55. Oscula, & amplexus, aliique tactus non impudici excusantur a cul-
„ pa mortali inter sponsos de futuro ratione contractus sponsalium inter
„ ipsos initi. Ratio est, quoniam sicut matrimonium ipsum cohonestat
„ copulam; ita sponsalia, quæ quoddam matrimonii initium sunt, cohone-
„ stare debent hujusmodi tactus, qui *incohatio quædam sunt copulæ* præser-
„ tim quia sic magis fovetur amor ad matrimonium . . . . num. 49. At-
„ que hæc Conclusio vera est, quamvis sponsi *intendant eam delectationem*
„ sensitivam, quæ ex ipsis amplexibus & osculis oritur. Quia sponsalia,
„ quæ matrimonii initium sunt, excusant a mortali hanc delectationem,
„ quæ copulæ inchoatio est, & in omnino solutis esset culpa mortalis. " *Lib.* 9. *Disp.* 46. *num.* 48. *pag.* 327.

56. „ Quod si vir in superficie tantum vasis præposteri uxoris resrica-
„ ret sua verenda, vel in eos ejus intromitteret, cessante omni pollutionis
„ periculo, non crederem esse lethale. " *Lib.* 9. *Disp.* 17. *nu.* 5. *pag.* 222.
Relatæ sunt istæ Tom. X. Theolog. Christian.

57. „ Excipi debent loca, in quibus hæretici non denuntiati, nec noto-
„ rii Clericorum percussores cum Catholicis permixti convivunt, ut in
„ Germania, Gallia, Polonia: in iis enim ex consuetudine recepta, &
„ tolerata licent conjugia catholicæ personæ cum hæretica, dummodo Ca-
„ tholi-

„ tholica libere permittatur, & absque perversionis periculo in fide per-„ manere; quia ea conjugia ineuntur instar aliorum contractuum civilium." *Lib. 7. De Matr. Disp. 72. num. 5. pag. 234.*

58. „ Hinc deducitur minime culpæ lethalis reum esse virum tactibus „ irritantem venerem, scientem se ob id præmaturius femina seminare: „ quia concursus utriusque seminis minime ad generationem desideratur, „ ut numero, præcedenti probavimus. Sic viri sapientissimi e Societate Je-„ su, & Henriquez." *Lib. 9. Disp. 17. num. 10. pag. 223.*

59. „ Gravius dubium est, num ubi vir semine intra vas emisso, mem-„ brum virile extraxit, liceat feminæ, quæ nondum effudit tactibus „ se excitare donec seminet? Id enim minime licere suadet .... Ve-„ rum id licere inde mihi persuadeo, quia illa provocatio feminæ est „ actus conjugalis perfectio, ac consummatio." *Ibidem numer. 12. pag. 222.*

§. XVIII.

P. Thomæ Tamburini Soc. Jesu propositiones laxæ.

1. „ ADverto primo in bene moratis, vel confiteri solitis supponi pos-„ se *semel* hæc mysteria credidisse; semel, inquam; nam ex neces-„ sitate medii semel sufficit." *Lib. 2. in Decal. cap. 1. n. 3. pag. 39. edit. Venet. 1702.*

2. „ Vel primo sermo est de actu fidei necessario necessitate salutis.. „ Et hunc quidem semel in vita elicere satis esse modo vidimus n. 3." *Ibidem n. 8. pag. 39.*

3. „ Vel secundo sermo est de actu fidei ex necessitate PRÆCEPTI, „ quo scilicet obligamur credere ea quæ diximus num. 5. Sane nondum „ obviam habui Doctores, qui id explicando mihi satisfecerint. Unde omni-„ bus perpensis (subdendo tamen ut hoc, ita & alia omnia mea S. R. E. „ judicio) puto PER SE, & DIRECTE *numquam obligari* fideles ad cre-„ denda prædicta Mysteria, nec implicite, nec explicite *ex vi necessitatis* „ *præcepti* fidei (nam medii simul, & præcepti jam modo dictum est, qua „ ratione *semel* & ad quæ mysteria credenda sit obligatio) sæpissime vero „ obligari per accidens ex vi aliorum præceptorum." *Ibidem n. 9. pag. 39.* Quid ad hæc P. Carole Noceti?

4. „ Confimatur primo nostra sententia ex Azorio .... qui docet Cari-„ tatis præceptum tunc solum obligare, quando tenemur justificari, & „ non habemus aliam viam, qua justificari possimus; quia hoc præce-„ ptum non videtur obligare, nisi ut medium justificationis, vel ut dispo-„ sitio ad illam. Hæc ex illo. Ex quibus colligo similiter dici posse de „ fidei

„ fidei actu, & consequenter de actu spei, (ut cum de spe infra cap. 11.
„ §.1.& cum de caritate agam huc me remittens, rursus innuam infra cap.
„ 3. §. 2. n. 2.) " *Ibidem n.10. p.39*

5. „ Laborant Doctores in assignando tempore, quo debet fidelis ex obliga-
„ tione, actum positivum amoris elicere circa Deum; variaque tempora,
„ ut varia sunt ingenia hominum, assignant. Primum tempus, quod aliqui
„ assignant, est initium usus rationis. Secundum, finis vitæ. Tertium, tota
„ vita indeterminate sumpta, ut saltem semel in ea ametur Deus. Quar-
„ tum omnes dies Festivi, in quibus debemus Deo specialiter vacare.
„ Quintum, tempus, quo adultus suscipit Baptismum. Sextum, tempus,
„ quo quis suspicit Eucharistiam. Septimum quando forte sumitur mar-
„ tyrium. Octavum, quando a Deo magnum accipis beneficium. Nonum,
„ quando audis aliquem contra Deum blasphemantem. Decimum, quando
„ gravi urgeris tentatione præsertim odii Dei cum periculo consensus, nisi
„ ad Deum per amorem te convertas.

„ Mihi placet doctrina Azorii.... qui docet hoc præceptum Caritatis
„ impositum fuisse ob justificationem impii: solum igitur tunc obligare,
„ quando impius, quia sacramentum pœnitentiæ non est in promptu, non
„ habet aliam viam, qua se justificet, nisi eliciat actum contritionis, quæ semper
„ aliquo tandem modo actum amoris Dei super omnia dilecti involvit
„ Consequenter igitur, & indirecte ratione suæ justificationis ad actum
„ Caritatis fideles obligantur. Vide supra cap. 1. §. n. 10. ubi idem loquen-
„ di modus mihi placuit de præcepto actus fidei, & spei: nam per ibi-
„ dem dicta & confirmabitur hæc Azorii doctrina, & impugnari poterunt
„ tempora modo assignata numero præcedenti. " *Lib. 2. in Decal. cap.* 3. §.
3. *n.* 1. & 2. *pag.* 52.

6. „ Confirmatur, quia licet communis sententia doceat, dari præceptum
„ speciale de amando Deo in illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum*, &
„ alibi; tamen non ignobiles Doctores docent hoc præceptum non esse speciale,
„ & speciali tempore implendum, sed generale imbibitum in omnibus præ-
„ ceptis; sicut secundum præceptum de dilectione proximi non est spe-
„ ciale, sed in præceptis Decalogi contentum: nam propterea dicitur: *in*
„ *his duobus præceptis*, idest dilectione Dei, & proximi, *universa lex pen-*
„ *det & Prophetæ: & qui habet præcepta mea, & servat ea, illi est, qui dili-*
„ *git me*; *& plenitudo legis dilectio*. Si enim qui servat præcepta diligit,
„ quique diligit servat, jam unum ex his continetur in alio, & conse-
„ quenter præceptum caritatis indirecte solum, & ratione alterius obliga-
„ bit. " *Ibidem n.* 3. *pag.* 52.

7. „ Probabilis ergo, & tutissima sententia est illorum, qui negant fide-
„ les *initio usus rationis*: Sic Castr.... cum Azor. Val. Sanch. Suar. Conin-
„ ch. ab eodem cit. & *fine vitæ*, sic idem ibi n.9. cum Azor. & Sanch. ab

„ eo-

„ eodem citat. *obligari* ad se convertendos ad Deum, illum amando: po-
„ nere enim ejusmodi obligationem, quæ certe solido fundamento non in-
„ nititur, nihil aliud est, nisi scrupulos ingerere, non quidem indoctis,
„ quia hi ad eam obligationem minus advertunt, sed doctioribus &c." *Ibi-*
„ *dem n.4. pag.53.*

8. „ An possit filius mortem patris optare, vel de illa gaudere, non ut
„ malum patris (hoc enim esset odium execrandum) sed, ut ipse filius
„ paterna hereditate fruatur? An Mater possit desiderare mortem filiæ,
„ ne illam alere, vel dotare cogatur? An possit subditus mortem cupere
„ sui Prælati, ut Prælaturæ ipse succedat, vel ut ab eo Prælato sibi infenso
„ liberetur? & similia. Si solum desideres, vel cum gaudio excipias ejus-
„ modi effectus, hereditatem, molestiæ carentiam, prælaturam &c. facilis
„ est responsio: licite enim hæc optas, vel amplecteris: quia non gaudes
„ de alterius malo, sed de proprio bono.... Deinde n.30. Rursus. Si de-
„ sideres sub conditione, facilis item est responsio, licite posse. Si quis
„ enim hunc actum eliciat: *Si meus Pater moreretur, ego hereditate potiorer:*
„ *si filia mea occumberet, ego molestia liberarer*; & gauderet tunc ille, non
„ de patris, vel filiæ morte, sed de hereditate, deque carentia molestiæ:
„ culpam odii non committeret.... n.31. Denique si absolute desideres in
„ hunc modum: *Cupio mortem patris, non ut malum patris est, sed ut bonum*
„ *meum, seu ut causa mei boni; nimirum quia ex illius morte ego ejus here-*
„ *ditatem adibo*: vel sic: *Utinam moriatur mea filia; nam sic sexcentas solli-*
„ *citudines excutiam &c.* si, inquam, sic desideres, major est resolvendi diffi-
„ cultas: quia tunc eligis velle malum illis, quamvis ut causam tui com-
„ modi: quod non videtur culpa vacare. Et ita quidem putat Bonacina ... Ni-
„ hilominus Castr. t. 1. tract. 6. d. 4. circa 4. Dec. præc. q. un. pag. 3. n. 3.
„ postquam firmavit, posse malum proximo desiderari propter bonum ju-
„ stitiæ, vel bonum publicum, vel ipsius proximi..... sic addit. *Credo si*
„ *cum debita moderatione facias, te posse absque peccato mortali de vita alicujus*
„ *tristari, & de illius morte naturali gaudere; illamque inefficaci affectu pete-*
„ *re, & desiderare: non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod tem-*
„ *porale emolumentum inde secutum* ...... ex quibus vides opinionem
„ Castropalai *esse satis probabilem.* " *Lib. 5. cap. 1. d. 3. num. 29. 30. 31.*
32. 33. pag. 150.

9. „ Inquires secundo an, sicut aliis, ita sibi ipsi possit quis modo
„ dicto malum optare, v. g. mortem, ad ærumnas vitæ hujus evitandas?
„ Respondeo, ita: propter easdem rationes, quia tunc bonum sibi optat,
„ non malum. Ita Vasquez, Sa, Turrianus Navar. apud Bonac.... Sunt
„ apud nos non pauci rudes, qui tanquam de mortali se accusant, sibi
„ mortem optasse, quo incommoda vitæ hujus effugiant. Ejusmodi pœni-
„ tentes, eorumque Confessarii sunt admonendi, illi ut conscientia erronea
„ libe-

„ liberentur, hi, ut sollicitiores sint in docendis pœnitentibus. Nam profecto admirans sæpius adverti, aliquos solitos frequentissime confiteri, „ hac erronea conscientia laborasse. Deus immortalis! Numquam ne Confessarius sibi scrupulo vertit, se teneri ex caritate, ex officio, Doctoris munus erga pœnitentes exercere? Medicus est Confessarius, judex, „ & magister. " *Ibidem n.* 34. *pag.* 150. Relatæ sunt Tom. I. Theolog. Christian.

10. „ An si amicus meus velit, ut ego feram munuscula, & similia, „ turpis scilicet amoris incitamenta, quæ ipse mittit ad suam concubinam, possim ego sine peccato deferre? Responsio fuit absolute negativa: „ quia ex una parte hæc actio, licet alias indifferens, est conjuncta cum „ peccato amici, ejusque concubinæ, & ex alia parte non adest causa excusans ducta ex famulatu. (*hoc enim famulis concedit*) vel ex alio detrimento, ut supponimus. *Nec enim si adest quidam modicus rubor, videtur esse regulariter tanti momenti, ut satis excuset. Fateor tamen, si tibi magni sit ejusmodi amicitia, ac vere timeres eam amittere, excusari te posse: quia tum notabilis nocumenti justus metus accedit.* " *Lib.* 5. *in Decal. cap.* 1. §. 4. *n.* 20. *pag.* 152.

11. „ Qui ex officio lecticas humeris portant, vel rhedas agunt, possunt „ ne licite, pretio conducti puellam scienter ad lascivum adolescentem adducere? Aio non posse, quia id nec excusat ratio famulatus (hi enim „ famuli, seu subditi non sunt) nec amissio lucri, quia hoc est satis exiguum.... *Habet tamen unum apud Navarrum.... ex quo aliquid benignius colligi probabiliter potest. Ex his*, inquit, *videtur colligi ratio defendendi multos a peccato saltem mortifero; modo ut in casu proponitur, non placeat eis peccatum, & faciant obsequia prædicta ob aliquem bonum finem, puta eo quod, exhibeant illa officii sui causa, vel ob justam mercedem; licet enim hæc officia, & obsequia sint valde conjuncta peccato; non tamen sunt secundum se, & suapte natura peccata, & ideo sejungi possunt a peccato per finem diversum, & sejunctum.* Hæc ille. Nota illud *officii*, vel *ob justam mercedem.* " *Ibidem n.* 30. *pag.* 154.

12. Idoli, ejusque Templi fabricatio, ut item idoli jam facti venditio, „ cum sint ordinata ad idololatriam, non possunt ex se licite præstari... „ Urgentissima tamen existente causa (ut esset semel aut iterum juxta dicta num. 38. magna paupertas artificis) peccatum vitaretur. Ita Castropalaus... Tannerus.... " *Ibidem n.* 28. *p.* 154.

13. „ Simile quid erit, si a te amicus petat, ut cubiculum ei accommodes, in quo scis eum fornicaturum: nisi enim notabilis necessitas te „ excuset, peccabis, si illi morem geras. " *Ibidem n.* 20. *p.* 153.

14. „ Et notabiliorem quidem posco, si in tuo cubiculo securius, & „ confidentius sit amicus peccaturus ob rationem modo dictam. " *Ibidem p.* 153.

P 15. „ Si

15. „ Si ii vectores, seu bajuli adeo sint religiosi, ut nolint se suasque o-
„ peras locare in ejusmodi vectationibus, facile in suo lucro notabiliter
„ læderentur. " *n. 31. p. 154.*

16 „ Ipsa communis famulatus, & obsequii ratio, est proportionata cau-
„ sa, cur excusetur famulus, filius, uno verbo subditus sequentia opera
„ ex se indifferentia faciens. Ita Sanchez. Primo si jussu heri usurarii pe-
„ cuniam numeret, deferat, recipiat, referat mere in libros. " *Ibidem n.
18. p. 153.*

17. „ Secundo, si ejusdem jussu, quem scit ire ad adulterandum, sternat
„ equum, ipsum mere comitetur, mereque expectet ante fores (mere, in-
„ quam, hoc est, non ut custodiat, animosioremque ad peccandum red-
„ dat) sternat lectum, cibos condiat, ministretque concubinæ, eamdemque
„ mere associet, ducendo ad locum ubi dominus peccaturus est, januamque
„ aperiat eidem ingressuræ. " *Ibidem p. 153.*

18. „ Tertio, si ornet suam heram meretricem, si deferat scripta, & in-
„ ternuntia solius urbanitatis plena, si deferat munuscula, & esculenta,
„ præstetque alia officia, quæ alius famulus æque præstaret. " *Ibidem
pag. 153.*

19. „ Subditus non ex sola famulatus ratione, sed metu notabilis detri-
„ menti (quale esset, si quis timeret, ne dominum hunc deserens, co-
„ gatur alium cum sua molestia, & damno quærere; ne a domino male
„ tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne e domo cum suo detrimento ex-
„ pellatur) subditus, inquam, excusabitur, si referat adulteræ, vel ini-
„ mico, ut tali hora ad domum heri, vel ad condictum locum accedat
„ (sed ne dicat, ut accedat ad peccandum, vel ad pugnandum in du-
„ ello: hæc enim sunt intrinsece mala) si jussu heri insequatur puellam,
„ visurus, vel requisiturus, ubi ea habitet, & nihil aliud: si jussu ejusdem
„ non aperiat modo januam, sed doceat ubi herus sit, si dominum adju-
„ vet ad ascendendum per fenestram, quo ingrediatur in locum ubi peccatu-
„ rus sit. " *Ibidem n. 19. p. 53.*

20. Ego hic sentio, quod supra *cap. 1. §. 1. n. 8.* dixi de præcepto Fidei,
„ Spei, & Caritatis, non dari scilicet certum tempus, & determinatum,
„ in quo directe (præceptum religionis) obligat; sed esse illud, in quo
„ obligat indirecte, quando scilicet urget necessitas alicujus boni acqui-
„ rendi, vel mali, seu tentationis avertendæ quæ acquirere, vel avertere
„ sine Dei auxilio, nos non posse tunc animadvertimus. " *Lib. 2. in Decal.
c. 4. §. 2. n. 4. p. 54.*

21. „ Dicemus infra Lib. 2.... Beneficiarium tenue beneficium possiden-
„ tem non obligari ex probabili sententia ad horas Canonicas persolven-
„ das. Quid ergo erit, si quando, omnibus expensis, ambigatur utrum be-
„ neficium sit tenue, nec ne? Resp. Puto probabile cum Vasquez.... obli-
„ gari

„ gari, & item probabile non obligari cum Caramuel... Quare alteram „ ex his sententiis, quam tibi libet, amplecti licet." *Lib. 1. in Decal. c. 3. §. 7. Verb. Beneficiarius n. 2. p. 21.*

22. „ Itaque, qui dum Missam ex præcepto audit, vel officium divinum „ persolvit, quæstionem philosophicam secum mente voluntario obvolveret, vel sua negotia cogitaret, modo externam attentionem haberet, „ quia scilicet non poneret distractiones externas ejus generis, quas diximus *n. 1.* ex probabili dicta opinione præceptum satis adimpleret." *Lib. 2. Meth. celeb. Miss. c. 6. n. 5. p. 467.*

23. „ Dico secundo, excusari communitatem Religiosorum a choro, si „ constet solum ex quatuor, vel quinque, ita Bordon. apud Pelizar...... „ Ratio est, quia tametsi quatuor, vel quinque, immo & duo sufficiant „ ad rigorem chori: tamen cum sit probabilis opinio plures requiri ad „ constituendum chorum ex obligatione, ut scilicet cum aliquo decore „ alternatim cantetur, ne tantum onus quotidianum tam paucis ex obligatione imponatur, potest communitas Religiosorum, hanc opinionem sequendo a dicto onere se tunc liberare." *Lib. 2. in Decal. c. 5. §. 1. n. 12. p. 55.*

24. Verba contra Deum in ebrietate, vel phrænesi, vel ex inadver„ tentia *orta, ex inveterata consuetudine*, blasphemiæ nequaquam sunt." *Lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 4. n. 17. pag. 75. & Lib. 2. Meth. Conf. c. 3. §. 3. n. 22. & 25. p. 386.*

25. „ Per quæcumque verba, etiam perspicue Deum continentia, mul„ to magis dubie, emittatur juramentum, erit omnino, & semper in foro „ conscientiæ ad intentionem jurantis attendendum, si velimus deprehen„ dere an vere juratum sit. Vel enim (quæcumque tandem verba profe„ rantur,) intendit quis primo positive invocare Deum, vel secundo po„ sitive non invocare, vel tertio (sive quia non advertit, sive quia ne„ scit) præscindit ab ejusmodi invocatione, hoc est nec intendit, nec „ non intendit invocare. Partitio videtur adæquata, continet enim con„ tradictoria, & præcisionem ab ipsis. Jam si primum, certe erit juramen„ tum, ut ex se patet. Si secundum, certo juramentum non erit, ut fa„ tentur communiter Doctores..... Licet enim ego dicam *juro per Deum*, „ si nolim per hæc verba Deum ut testem mei dicti implorare, utique „ non implorabo, *nisi valde materialiter*, *sicuti psitacus a magistro edoctus* „ *eadem verba proferret*. Certo in Sicilia ignobiles viri unoquoque verbo „ (*Par Dio*) jurant. Quis autem dicat eos ignobiles vere jurare, cum „ nec ipsi aliquando sciant, quid significet illud (*Par Dio*) videtur au„ tem ex sua notione significare *per Deum*. Denique si tertium, *certo item* „ *juramentum non erit, quia non invocat Deum*. Cum enim hic abstrahat ab „ invocatione, clare apparet invocationem non exhibere." *Lib. 3. in Decal. c. 1. §. 3. n. 7. p. 78.*

26. „ Qui ex inveterata consuetudine advertenter jurat falso, satis ne
„ est sic dicere, *semel juravi falso*, an potius necesse erit, etiam addere id
„ fuisse ex mala consuetudine? Respondeo non esse necesse... Idem dic,
„ ut id semel hac occasione dicam, de inveterata consuetudine fornicandi,
„ blasphemandi, & ceterorum similium: par enim est ratio." *Met. expedit. Confess. Lib. 2. cap. 3. §. 3. n. 21. p. 386.*

27. „ Certum est... jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive
„ gravis, vel jurare verbis æquivocis non esse licitum sine causa, lici-
„ tum esse cum causa." *Lib. 3. c. 3. §. 2. n. 1. p. 82.*

28. „ Quæstio est, an liceat juranti accipere verba in alio sensu ab illo, quem ea
„ præseferunt. Juro v. g. per Deum me hac nocte non dormivisse, intelli-
„ gendo vestitum... Resp. licere... At est ne saltem veniale sic per æ-
„ quivocationem jurare? Resp. si aliqua subsit causa.... nullum est
„ peccatum.... Si nulla sit causa, veniale erit." *Ibidem cap. 2. §. 2. n. 1. p. 81.*

29. „ Quando verba nullo modo ex se patiuntur talem æquivocationem,
„ seu mentis restrictionem; licet ne aliud intelligere solum ex mea mera
„ voluntate? Juro v. g. me non dormivisse, intelligendo me non comedis-
„ se. Quo pacto materialiter solum dico me dormivisse, non significative.
„ Resp. Sanchez negat licere, quia non est in cujusvis arbitrio significatio-
„ nem vocibus imponere. Verum hæc ratio non me potest avellere a
„ probabilitate quod liceat." *Lib. 2. in Decal. c. 2. §. 2. n. 4. p. 81.*

30. „ At hoc modo loqueris contra pactum Reipub. quod in constitu-
„ tione linguæ inter homines tacite initum fuit, ut significative profer-
„ rentur verba, non vero solum materialiter. Lege Sfortiam Pallavicinum
„ in sua Theologia Lib. 3. dist. 2. n. 17. apud Tancredum.... Respondeo
„ hujusmodi pactum nimis speculative ab ingeniosissimo excogitatum esse.
„ Addo, esto affuisse conventionem, ut per illas voces possent aperire
„ homines conceptus suos; at contendo numquam affuisse pactum, quo
„ minus iidem possent (quando vellent) illas materialiter efferre. Cer-
„ te sic efferunt infantes, sic adulti, quando incipiunt discere linguas ex-
„ teras, sic scriptores, & typograghi quando exscribunt, vel imprimunt
„ verba alterius linguæ. *Cur ergo non in aliis occasionibus quando homini li-
„ buerit?*" *Ibidem c. 2. §. 2. n. 6.* Relatæ sunt Tom. III. Theolog. Chri-
stian.

31. „ An, cum indignis possint filii licite contrahere, patre, vel geni-
„ trice dissentientibus? Et quidem licet aliquibus videatur non posse...
„ fateor tamen probabile item esse, ac tutum, quod possint. Ratio præ-
„ cipua est modo dicta: filium scilicet omnino liberum esse, nec alicui
„ subjici hac in re." *Lib. 5. in. Decal. cap. 2. §. 3. n. 5. p. 159.*

32. „ Dicendum a nobis, dari rationem naturalem id certo (simpli-

„ cem

„ cem fornicationem esse vetitam) probantem, sed ingenue fateri nos „ debere eam a priori nondum clare esse compertam." *Lib. 7. in Decal. c. 1. §. 2. n. 1. p. 184.*

33. „ Si tu dum occulte tibi compensas debitum, prævides alicui ter„ tio id, tamquam furtum ab ipso fuisset commissum, fore imputan„ dum, non obligaris id præcavere, nisi facile possis." *Lib. 8. in Decal. c. 5. §. 1. n. 5. p. 220.*

34. „ Furatus es v. g. decem aureos nudius tertius, utique cum pecca„ to, verum hodie existens in gravi necessitate, puta in gravi morbo, si„ ne ulla spe habendi pecuniam, illos ad vitam conservandam expendis, „ obligaberis ne ei ad meliorem fortunam rediens ad restitutionem?... „ Non est improbabilis sententia, te tunc liberans ab omni restitutione." *Lib. 8. in Decal. Tract. 2. c. 6. §. 2. n. 3. p. 222.*

35. „ Ad tormenta, damnaque gravia vitanda posse quemlibet sibi fal„ sum grave crimen imponere, etiamsi mors sit sibi secutura." *Lib. 9. in Decal. cap. 3. §. 6. n. 6. pag. 293.*

36. „ An si alio modo te ab injusto teste tueri nequeas, licite falsa „ crimina illi possis objicere, quanta sufficiant ad tuam justam defensio„ nem? Duo assero. Unum mihi satis probabile, alterum satis incer„ tum. Probabile mihi est te si id facias non peccare contra justitiam: „ unde nec obligari ad restitutionem........ Incertum mihi est, an id „ possit fieri licite sine ulla culpa." *Loc. cit. cap. 2. §. 2. n. 4. 5. & 6. pag. 288.*

37. „ Si sit necesse publicas scripturas ementiri, posset ne Notarius pu„ blicus ad hoc induci, si Notario constaret mea innocentia? Quid ni? „ respondebis. Id enim non est esse infidelem Reipublicæ, sed maxime „ fidelem, dum ejusdem Reipublicæ innocentes sic defenduntur. Verum si „ aperiatur hujusmodi ostium, quomodo stabunt publica judicia? Invenian„ tur, respondebis, testes veri, ut sancta requirunt tribunalia. Dum enim „ falsi testes quacumque arte repelluntur, publica judicia firmantur potius, „ non infirmantur. Sed ego iterum audio, quia tamen adhuc durum au„ dio, libenter nodum hunc in aliud tempus evolvendum reservo." *Loc. cit. num. 7.*

38. „ Gaudebat quidam Sacerdos se per inculpabilem oblivionem matu„ tinum diei hesterni non recitasse. Et reprehendebatur ab alio *nimis Re„ ligioso Sacerdote.* Huic dixi, potuisse illum gaudere de carentia illa la„ boris, quæ tunc nullo modo peccaminosa fuit; atque adeo tale gaudii „ objectum erat ab omni malitia separatum, nedum separabile." *Lib. 10. in Decal. Cap. 5. §. 1. num. 2. pag. 299.* Relatæ sunt Tom. IV. Theolog. Christian.

39. „ Notat hic Sanchez *Lib. 1. in Decal. Cap. 4. num. 12.* & Bonacina mox

„ ci-

„ citandus *n.* 3. non esse mortale, singulis Festis per duas operari horas, „ quamvis animo fixum teneas, id toto anno efficere velle, & de facto „ efficias. Ratio est, quia unus dies festus non adnectitur cum alio, ad „ hujus materiæ gravitatem efformandam. " *Lib.* 4. *in Decal. c.* 3. §. 2. *n.* 2. *p.* 130.

40. „ Non absimili modo advertit Bonacina... Dominum injungentem „ laborem duarum horarum viginti v. g. Famulis simul, non peccaturum „ mortaliter, quia unius opus nequaquam unitur cum opere alterius. „ Idemque erit ex Portell.... si singuli successive per modicam horam „ in eodem die laborent, etiamsi uno post alterum laborante totus dies „ occupetur, quia pari modo unius opus cum alio non connectitur. " *Lib.* 4. *in Decal. c.* 3. §. 2. *n.* 2. *p.* 130.

41. „ Qui noctu dormire per notabile tempus non potest, nisi cœnet; „ nimis enim est onerosum sic jejunare. Ita *Fag. Loc. citat. Jo. Sanc. d.* „ 54. *num.* 13. *Layman Lib.* 4. *Cap.* 3. *num.* 4. Neque hunc obligo mane „ jentare, seque sero plene reficere: quo pacto jam jejunium sartum te- „ ctum, ut ex supradictis patet, conservaret. Non obligo, inquam, licet „ id commode facere queat: quia nemo in jejunando est obligandus ad „ extraordinaria remedia, & ad relinquendum suum jus comedendi circa „ meridiem. " *Lib.* 4. *Cap.* 5. §. 7. *num.* 14. *pag.* 141.

42. „ Dico denique propter auctoritatem Doctorum esse probabile *nullos* „ *artifices, atque adeo nec sutores* obligari ad jejunia: quia Eugen. vel con- „ cessit (ajunt) iis privilegium non jejunandi, vel declaravit eos non „ comprehendi a lege jejunii. Ita Trull. l. c. nu. 9. citans Fag. & Sa, Azor. „ p. l. 7. cap. 17. quæst. 8. " *Ibidem num.* 28. *pag.* 142.

43. „ .. Si precibus, aliove modo posset conjux removere alterum a pe- „ tendo debitum, adhuc tamen non teneretur uti hoc remedio, atque „ adeo posset non jejunare, & sic reddere. Ita Thom. Sanch. Ratio est, „ quia personalis obligatio reddendi est ex justitia, quæ non obligat, nisi „ ad reddendum personaliter debitum, non vero ad conquirenda, vel „ ponenda remedia, ne alter petat. " *Ibidem num.* 37. *pag.* 142.

44. „ Dispensatus ad carnes edendas liber est a jejunio.... Hinc illi, „ cui conceduntur ob dispensationem carnes, licet sero cœnare, immo plu- „ ries in die se reficere. " *Ibidem Cap.* 5. §. 1. *num.* 2. *pag.* 133. Relatæ sunt Tom. V. Theolog. Christian.

45. „ Si prævideat Confessor pœnitentem non restiturum, si illi dete- „ gatur nullitas tituli, quem pro se adesse pœnitens putat, non erit ex „ Sanchez talis nullitas illi a Confessario non interrogato patefacienda, „ quamvis sit in præjudicium tertii, qui suo carebit: Tertii, inquam, par- „ ticularis: nam si esset in damnum publicum; cum tunc præponderare „ debeat bonum publicum bono privato pœnitentis, videtur aperienda. Sed

„ con-

„ contra hoc ultimum, quæso te, si prævides pœnitentem non restituturum, quamvis item advertas, id esse in damnum publicum, cur tu sis obligandus ad admonendum, quandoquidem prævides, adhuc tua monitione illum non fore restituturum, atque adeo non fore amovendum damnum publicum? Certe frustra erit talis monitio, immo nocens ipsi admonito, bono autem publico nequaquam favens. " *Lib.* 3. *Meth.Conf. Cap.* 4. *num.* 5. *pag.* 400.

46. „ Quando rationabiliter timetur periculum, vel difficultas, vel expensæ in recuperando mutuo, atque hæc oriuntur ratione personæ mutuatarii; potest aliquid exigi proportionatum supra sortem . . . Si pericula timeantur ex sola pusillanimitate, negant plerique .... Verum de Lugo innuit posse, licet denique aliorum judicio relinquat. Ratio, inquit, cur possit quid exigi, est angor, & molestia, quæ mutuans passurus est toto v. g. anno propter timorem amittendi sortem, quæque subire ipse non obligatur sine pretio. At hæc jam in eo pusillo adsunt: ergo &c. " *Lib.* 8. *in Decal. Tract.* 3. *Cap.* 8. §. 4. *num.* 1. *pag.* 268.

47. „ Dixi jam posse pro hoc titulo promissionis non repetendi pecuniam mutuam, pro quolibet anno licite in nostra hac ætate PECUNIOSA exigi quinque pro centenario. Ita Caramuel. " *Ibidem* §. 5. *num.* 18. *pag.* 269.

48. „ Si habes domi aliam pecuniam otiosam, hanc tamen, quam mutuas, negotiationi destinaveras, adhuc potes si hanc destinatam mutues, exigere lucrum cessans; quia revera ratione mutui cessat tibi ejusmodi lucrum ex hac destinata pecunia. " *Lib.* 9. *Tract.* 1. *Cap.* 3. §. 4. *num.* 2. *pag.* 179.

49. „ Nos aliqua remedia, seu justa artificia tradidimus Lib. 8. in Decal. Tr. 3. Cap. 8. §. 3. n. 17. quorum auxilio aliquid anticipato sumi possit. " Artificia ista tradita loc. cit. hæc sunt. „ Fiant duo contractus, alter mutuationis, alter venditionis; & sic poterit mutuans sumere nunc decem, seu saltem octo, vel sex. Explico. Mutuans nunc mutuat centum aureos cum spe, ut recipiat hinc ad annum ex lucro licito præter sortem, alia decem. Vendat nunc anticipato hanc spem denarii lucri ipsi mutuatario, quæ spes valebit, v. g. omnibus ab experto viro expensis, sex, vel octo aureis: nam statim nunc poterit sine labe usuræ hos sex, vel octo aureos sumere, non quidem ex vi mutui, sed ex vi venditionis sperati a se lucri, & venditi mutuatario. " *Lib.* 8. *Tract.* 3. *Cap.* 8. *part.* 3. *numer.* 17. *pag.* 267.

50. „ Lessius Lib. 2. Cap. 20. Dub. 2. num. 100. ab eadem difficultate sic se liberat. Mutuet quis tibi centum, ita ut mutuet cum interesse solum 91. & 9. sine interesse. Nam mox hæc 9. reddere mutuanti potes sine ulla ipsius injustitia pro interesse debito illis 91. Tunc enim tu

„ mu-

„ mutuatarius non solves lucrum ex ipsa summa mutuata cum interesse, „ sed ex alia, quo pacto plus æquo non gravaberis. Dices: Gravabor ex „ eo quod anticipato solvo quod nondum debeo. Responderem sic pro Les„ sio. At certo debebis, & ex alia parte molestia dandi nunc, quod de„ bebis postea, compensari sufficienter videtur ex eo quod mutuans gra„ tis mutuat tibi, & sine interesse illa novem. “ *Ibidem numer.* 18. *pag.* 267.

51. „ Primus Titulus est, quia campsor carebit pecunia quam tibi ipse „ tradit, post tres, vel plures menses, unde privabitur, etiamsi non sit „ mercator, opportunitate, & libertate aliquid lucrandi cum illa pecunia „ a te reddenda, per alias *forte* negotiationes se se offerentes. “ *Lib.* 9. *Tract.* 3. *Cap.* 5. §. 1. *num.* 6. *pag.* 206.

52. „ *Venditio sententiæ probabilis*. Occurrit hic non absimilis difficultas „ in Judice. Supponamus probabilem esse eam opinionem, de qua la„ te dixi *Libr.* 1. *Capit.* 3. quam præter citatos sequitur Dicastillo *Lib.* 2. „ *de Justit.* ... Licere judici ex duabus opinionibus æque probabilibus unam „ eligere, & juxta illam proferre sententiam: jam inquiro licite ne & „ juste accipiet judex pecuniam, ut potius illam eligat, quæ mihi favet, „ quam illam, quæ meo adversario? ℟. Cum illam sententiam improba„ bilem ego judicaverim ... eam tamen legat qui velit apud Lessium ... „ Valentiam, ...Salon... ac probabilem judicat Fagundez.“ *Lib.* 8. *Tract.* 3. *Cap.* 7. §. 3. *num.* 13. *pag.* 248.

53. „ Resp. primo cum immediate antea Concilium videatur esse con„ tentum de dignis, vel primo videtur per hoc (digniores) non aliud si„ gnificare velle, nisi dignitatem eligendorum *sumpto comparativo pro posi„ tivo*: vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat „ indignos, non vero dignos, quos paulo ante admiserat: vel tandem ter„ tio loquitur quando fit concursus. “ *Lib.* 8. *Tract.* 3. *Cap.* 4. §. 4. *num.* 8. *pag.* 232.

Ad solamen P. Caroli Nocetii addo Tamburinum oppositam judicare probabiliorem. Sed quid id refert Probabilismo admisso?

Relatæ sunt Tom. VII. Theolog. Christian.

54. „ Non tamen iidem peccant nec mortaliter, nec venialiter, si ci„ tra contemptum, vel quid simile data occasione id negligant; quia de „ hoc nullum apparet præceptum; quæ est sententia Suarii ... contra „ Cajetanum, & alios nonnullos, putantes, esse veniale. *Unde non est fi„ des habenda Leandro* ... qui trahit ad se Suarium, quasi concedentem „ esse veniale. “ *Lib.* 3. *de confirm. Cap.* 3. §. 4. *num.* 2. *pag.* 18.

56. „ In casu dubio, an verba aliqua legis præceptum obligans impor„ tent, an consilium, *tamquam regulam certam* ponunt Doctores reputan„ da esse consilia, & non præcepta. Et ratio est, quia cum lex sit gra-

„ vis,

„ vis, & onerosa, SEMPER in benigniorem subditorum partem est intelli-
„ genda. Adde, quod in dubio melior est conditio possidentis. Ergo in
„ dubio, lex ne sit obligans, an non obligans, melior erit conditio humanæ
„ libertatis, quæ a tali obligatione immunis est.

„ Tertio, quia *optabile* est, ut enixe optat Navarr.... a legislatoribus
„ neminem obligari ad peccatum, & juvat tot humanas leges sub præce-
„ pto obligantes diminuere, ne tanta præceptorum multitudine Hebræis
„ pejores efficiamur. Quare hoc, de quo agimus, præceptum (confitendi
„ quam primum) etiam diminuere operæ pretium est. " *Lib. de Method. Commun. Cap.* 1. §. 6. *num.* 50. & 51. *pag.* 419.

57. „ De Laico non est difficultas, satis enim est, si eliciat immediate an-
„ te ipsam sumptionem: & quia sumptio, seu manducatio substantialiter
„ fit, cum cibum deglutimus, seu trajicimus, non autem dum ille est in
„ ore, quando solum initiative est sumptio; ideo *probabilissimum* puto, sa-
„ tis esse, si actus contritionis fiat cum in ore habetur sacratissima hostia.
„ Ita de Lugo de Eucharis. Dis. 12. num. 22. Hurtad. Disp. 8. aliique. " *Loc. cit.* §. 7. *n.* 56. *pag.* 419.

58. „ Quamvis nonnulli cum Layman asserant Sacerdotem mortali cri-
„ mine deturpatum mortaliter delinquere, si Eucharistiam fidelibus porri-
„ gat, tamen aliqui merito id negant, ut Vasquez, quem citat, & sequi-
„ tur de Lugo Disp. 8. de Sacr. in com. sec. 9. quia tunc Sacerdos non confi-
„ cit Sacramentum, sed solum dispensat consecratum, ad quod tanta dignitas
„ nequaquam requiritur. Idemque est de Diacono, quando ex speciali Sa-
„ cerdotis commissione sacram Eucharistiam aliis porrigit, siquidem tunc
„ non conficit, sed solum dispensat. Si ergo probabile id est, quanto ma-
„ gis probabile fiet mortalem culpam non esse solum attingere? " *Loc. cit. num.* 59. *pag.* 420.

59. " An sit casus, in quo communicare quis sine Confessione, & etiam
„ sine contritione, atque adeo in peccato mortali possit.... Tam beni-
„ gna sunt viscera misericordiæ Domini, ut non dedignetur excusare ali-
„ quando pervicaciam nostram. Invenio enim unum, vel alterum casum
„ in quo quis purissimam communionem in peccato sumere sine peccato
„ possit. " *Ibidem* §. 10. *num.* 71. *pag.* 421.

60. „ Etenim ex supradictis constat Sacerdotem, qui incepta bona fide
„ Missa recordatur se mortalis culpæ reum, debere elicere actum saltem a
„ se existimatæ contritionis. Sed jam si non possit, seu experiatur actum
„ illum sibi valde esse difficilem, quid agat? Confiteri non potest, conte-
„ ri nequaquam valet: Sacrificium inchoatum relinquere ob infamiam in-
„ de sibi resultantem difficillimum est... Quid ergo ab anima sic affe-
„ cta superest extorquendum? Probabile esse ex aliquorum sententia judi-
„ co, hunc non peccaturum mortaliter, si cum hujusmodi conscientia pec-

„ cati mortalis, & cum eo dolore, quem tunc poteſt elicere, Miſſam pro-
„ ſequatur, conſecret, communicetque. Ita Vaſquez de Euch. Diſp. 207. c.
„ 1. num. 34. Hurt. Diſp. 9. de Euch. diff. 1. de Lugo de Sacram. Diſp. 9.
„ ſect. 1. num. 8. Ratio eſt, quia præceptum digne communicandi non vi-
„ detur tam arcte fideles adſtringere, ut cogat Sacerdotem cum tanto ſuo
„ dedecore ab incepto ſacro diſcedere. Tum autem ejuſmodi Sacerdos
„ non acquiret gratiam, ſed tamen non peccabit. “ *Ibidem num.* 72. *pag.* 420.

61. „ Idemque erit de Laico, qui jam recepturus ſacram ſynaxim an-
„ te linteum, nec ſub aliquo prætextu ſe ſe removere valens, peccati mor-
„ talis recordetur, nec conteri poſſit. Ita ibi. Par enim eſt ratio. No-
„ tent hanc Doctrinam ſcrupuloſi, animoque ſemper timidi. “ *Ibidem nu.* 73. *pag.* 420.

62. „ Si quis, cum ſit procurator, ut centum v. g. Miſſæ celebrentur,
„ quæ Miſſæ in hac urbe ſolent dici v. g. pro ducentis Juliis: ſi quis, in-
„ quam, per induſtriam ſuam mittat, ſeu eat ad aliam urbem, ubi intra
„ expoſtulatum tempus dicantur pro centum Juliis: puto enim non eſſe
„ *improbabile* poſſe talem Procuratorem retinere ſibi alios centum. Ratio
„ eſt, quia ſumi poteſt paritas a ſervo, qui per extraordinariam induſtriam
„ (nam ad ordinariam, & moralem obligatur ex ipſo famulatu) per ſuum
„ laborem emit res minoris, quam valent communiter in foro: poteſt enim
„ retinere quod ſupereſt, utpote fructum ſuæ induſtriæ. Pari ergo mo-
„ do in caſu noſtro. “ *Lib.* 3. *Meth. Miſſ. celebr. Cap.* 1. §. 5. *num.* 15. *pag.* 495. Relatæ ſunt Tom. VIII. Theolog. Chriſtian.

63. „ Inter motiva attritionis, de quibus num. 4. diximus, licet aliqui
„ non admittant aliud quartum, ideſt timorem mali temporalis, atque
„ adeo quo peccata execraretur propter timorem infamiæ, carceris, ægri-
„ tudinis, & ſimilium, quæ propter peccata incurri ſolent, legitimum do-
„ lorem pro ſacramento confeſſionis per hos Doctores non afferret; quia
„ hujuſmodi dolor naturalis eſt (ajunt) non autem ſupranaturalis, & pro-
„ ut oportet ad gratiam ſupernaturalem obtinendam: tamen *in ſententia*
„ *probabiliſſima* etiam hoc motivum eſt ſufficiens, ſi hujuſmodi mala tem-
„ poralia timeantur, ut a Deo inflicta, ſeu infligenda. “ *Lib.* 1. *Meth. Confeſſ. Cap.* 1. §. 4. *num.* 11. *pag.* 374.

64. „ Unde quando advertis pœnitentem tuum *valde* alicui crimini ad-
„ dictum, ne inculces doloris actum circa illud *peculiare peccatum*. Peri-
„ culum enim ſuberit, ne illud ex animo deteſtetur, dum ejus ſpecialis
„ memoria refricatur, quod in univerſum, & ſimul cum aliis deteſtandi
„ difficultatem, *vel nullam ſentiet, vel exiguam*. “ *Loc. cit.* §. 2. *num.* 5. *pag.* 373.

65. „ Dico probabile eſſe, nec conſanguinitatem ab affinitate ex S. Th.

„ 2.2.

„ 2. 2. quæst. 16. art. 9. & Cajet. ibidem, nec unum gradum ex his differre „ specie ab aliis. Sic Filliuc. dicens esse opinionem S. Th. Cajet. Soti, „ & fere Thomistarum. Griptius . . . Megala . . . uterque apud Dianam. „ Unde licet sine dubio gravius sit contra unum gradum delinquere v. „ g. contra primum cum Matre, qua contra alium v. g. cum consobri- „ na: tamen, quia non mutatur species, puto non esse ea speciatim ex „ necessitate patefacienda." *Lib. 2. Meth. Confess. Cap. 7. §. 7. n. 48. pag.* 391.

66. „ Aliis vero videtur esse probabilis (opinio illa quæ docet pœ- „ nitentem non teneri acceptare pœnitentiam) etiam post Tridenti- „ num, quia non videtur Tridentinum damnare voluisse opinionem „ quam doctissimi viri sequebantur . . . Ex qua opinione sequitur, quod „ si esset pœnitens aliquis qui nollet acceptare, paratus in purgatorio sol- „ vere, non esset ex hoc præcise censendus indispositus (nisi forte recu- „ saret pœnitentiam etiam parvam, quod esset signum non veri doloris) „ nec propter hoc solum esset sine absolutione dimittendus, quia sequitur „ opinionem, quam tanti viri sequuntur." *Lib. 4. Meth. Cap. 2. num. 7. pag.* 407.

67. „ Si ignorantia inculpabilis quæcumque, sive facti, sive juris, & si- „ ve juris divini, sive humani non est contra pœnitentem (idest quan- „ do pœnitens non putat esse mortale, quod tale est) & nihil pœni- „ tens interrogat de hoc Confessarium; distinguendum est: si enim Confes- „ sarius prævidet pœnitentem ignorantia ablata non difficulter relicturum „ id quod reipsa peccatum est, tenetur ex Sanchez veritatem aperire pro- „ pter bonum pœnitentis, & ne pœnitens peccet contra legem Dei, etiam „ materialiter. At si prævidet non relicturum, potius taceat, ne in majus „ damnum illum conjiciat." *Lib. 3. Meth. Confess. Cap. 4. nu. 3. pag.* 400.

68. „ Idem esse dicendum quando quis est in occasione proxima, & non „ speratur emendatio, docet Pellizarius." *Ibidem pag.* 400.

69. „ Quando pœnitens sub peccato mortali tenetur ad aliquid adeo „ difficile, ut non credatur tunc æquo animo recepturus, & alia vice me- „ lius suscepturus esse judicetur: poterit enim tunc prudens Confessor re- „ linquere illum in bona fide, quæ a peccato excusat, & monitionem in „ tempus opportunius differre ne scilicet territus pœnitens a Confessione „ se abstineat, majusque detrimentum patiatur. *Hoc notetur permaxime pro* „ *Confessariis Mercatorum, & Principum.*" Non ne præclarum Monitum? *Ibidem num. 7. pag.* 400.

70. „ Tertia Regula si pœnitens, sive quia prudenter dubitat, sive „ quia rationabili scrupulo angitur, *interrogat* Confessorem de re aliqua „ an sit peccatum, vel an ad aliquid obligetur nec ne? Tunc Confessor „ veritatem aperire omnino debet. Ita Sanchez, & alii. Ratio est, quia si

„ taceret, illud silentium esset erroris approbatio: id quod nunquam licet.
„ Dixi rationabili scrupulo, nam si sit mere scrupulus, idest sine fundamento, quia id non tollit bonam fidem, posset tacere Confessarius, ut explicat Sanchez. " *Ibidem num.* 8. *pag.* 400.

71. „ Assero secundo omnia beneficia sive majora, ut Cardinalatus, Episcopatus, sive minora, ut Canonicatus, & Capellania, sive curam animarum habentia, ut Abbatia, & Parochia, sive non habentia, ut prædictus Canonicatus, & Capellania, cetera beneficia, quæ simplicia nominantur, abstrahendo ab his, quæ dantur in concursu (de quibus mox nu. 14.) assero, inquam, satis esse ad evitandum mortale, si conferantur dignis, & idoneis esto prætermittantur digniores, vel dignissimi. "
In Decal. Tract. 2. *Lib.* 8. *Cap.* 4. §. 4. *num.* 5. *pag.* 291.

72. „ Sponsis de futuro valde probabiliter sine peccato licent quædam amoris signa, qualia sunt oscula, tactus, aspectusque pudici, ac locutiones amatoriæ, *etiam propter delectationem in illis residentem*, sed sine periculo pollutionis, vel consensus in illam, vel in copulam, at nullo modo impudici. Ita Thomas Sanchez . . . Unam excusationem invenio in sponsos eas actiones pudicas exercentes cum pollutionis periculo prævisio, sed non intento, & sine periculo consensus in illam. Nam si in occasione esset, ut INURBANUS haberetur, si ab illis abstineret, posset eas usurpare: quia jam adest rationabilis excusatio. " *Lib.* 7. *in dec. Cap.* 3. §. 5. *num.* 61. *pag.* 193.

73. „ Quando doleo de bono alterius, ut est diminutivum meæ excellentiæ, non doleo de bono alterius absolute, sed formaliter de malo meo, seu de diminutione meæ excellentiæ, quæ mihi mala est .... Sicut enim si gauderem de malo alterius, v. g. de morte patris, ut causante immediate bonum meum, puta hereditatis successionem, non esse peccatum, *juxta omnes*, supra vidimus: sic contra, si doleam de bono alterius, ut causante immediate malum meum, culpa non erit. "
Lib. 5. *in Decal: Cap.* 1. §. 3. *num.* 37. *pag.* 151.

74. „ Et S. quidem Thomas ceterique Doctores citati lit. H. quando tamquam certum supponunt invidiam esse tristitiam, qua quis dolet de bono alterius, ut est diminutivum propriæ excellentiæ, sunt intelligendi descripsisse invidiam ab effectu. " *Ibidem num.* 40. *pag.* 151. Relatæ sunt Tom. X. Theolog. Christian.

§. XIX.

§. XIX.

P. Antonii Terilli Soc. Jesu propositiones laxæ.

1. „ ALiud exemplum ego desumo a Beatissima Virgine, ejusque Sponso „ S. Joseph, quos magna Christum servandi, & alendi obligatio ur„ gebat. *Hos tamen sola probabilitas* a peccato excusavit, quando, ipsis „ Hierosolyma redeuntibus, Puer Jesus remansit in Jerusalem. " *Tract. de Consc. q. 22. num. 201. pag. 387. edit. Leodii 1669.*

2. „ Ecce integrum diem progressi sunt absque Amatissimo Jesu, nec „ dubium quin sæpe de illo cogitaverint, cum sine illo tamdiu esse non „ assueverant maxime in tali itinere. Peto jam, quid eos excusavit, quo „ minus illum citius quærerent? non aliud quam probabilitas quod esset „ in comitatu. " *Ibidem.*

3. Præsentia enim illius in comitatu certa illis esse non poterat: tum „ quia nihil falsum potest esse certum... Ergo cum falsum esset Christum „ esse in comitatu, non certo, & absque formidine crediderunt illum ibi „ esse. Ergo solum probabiliter, & cum aliqua oppositi formidine hoc exi„ stimarunt. " *Ibidem.*

An hæc pias aures non offendunt, mi Pater Noceti?

4. „ Respondeo, eamdem regulam æque favere Deo contra nos, ac no„ bis contra Deum. Favet nobis quamdiu sumus in possesione libertatis. „ Favet Deo quando lex est in possessione. " *De Consc. quæst. 23. nu. 48. pag. 426.*

5. „ Nulla lex obligat, nisi sufficienter promulgetur. At quoties ratio„ nes adsunt probabiliter arguentes partem minus tutam esse licitam, im„ possibile est legem præcipientem partem tutiorem esse sufficienter pro„ mulgatam. Ergo impossibile est illam legem obligare quemquam, quam„ diu probabile est partem oppositam non esse prohibitam. " *De Consc. quæst. 23. num. 14. pag. 411.*

6. „ Deus enim, qui omnia comprehendit, si aliter voluisset, idipsum „ expressisset, cum hoc ipsum æque facile ipsi fuisset, ac oppositum. At „ Deus hoc non expressit. Ergo ea sub obligatione cadere noluit. " *Ibidem num. 19. pag. 413.*

7. „ In his ergo tribuant sibi legislatores, si sua imperia aliquando vio„ lari videant, cum sufficienter non explicarint voluntatem suam: cui suf„ ficienter explicatæ subditi paratissimi erant obedire. " *Ibidem num. 25. pag. 416.*

8. „ Omnis Dei voluntas regulans moralitatem, vel est præcipiens, „ vel vetans, vel certe consulens, aut permittens electionem alicujus ob-

„ jecti.

„ jecti. Omnis autem voluntas Dei, seu lex æterna hujusmodi ad duas „ classes reducitur, quarum altera talis est *per se*, alia talis est *per accidens*. Do exemplum, & rem declaro. Illa Dei voluntas obligat *per se* „ qua Deus directe, & ex primaria intentione exigit a nobis aliquod obsequium. Talis est voluntas, qua Deus omnibus directe præcipit observantiam Decalogi, & auditionem Sacri diebus festivis.... Illa vero „ voluntas Dei obligat *per accidens*, quæ neque directe, neque ex primaria Dei intentione, *sed solum ex suppositione alicujus ignorantiæ, vel erroris* in mente creaturæ hic & nunc exigit obsequium ab illa." *De Consc. q. 11. p. 160.*

9. „ Universaliter loquendo ultimum conscientiæ dictamen est verum, & „ evidens, etiam quando homo operatur ex mera ignorantia vincibiliter." *Ibidem q. 17. n. 44. p. 271.*

10. „ Voluntas conformis dictamini conscientiæ, etiam vincibiliter errantis, conformatur cum aliqua Dei voluntate, *saltem per accidens obligante*, aut consulente." *Ibidem n. 45. p. 222.*

Ad hanc doctrinam animum intendens doctissimus Jesuita Camargo exclamavit: *Itaque secundum Terillum, quoties Judæus v. g. obcæcatissimus & obstinatissimus firmiter apud se concludit per summam pertinaciam & impietatem Christum fuisse blasphemum, ac seductorem, adeoque sibi merito execrandum; hoc ipsius dictamen est absolute verum, & evidens, & ex illius suppositione jam Deus ipsi consulit, ac jubet, ut Christum detestetur, ac contemnat.. Admiranda sane Theologia, & Ecclesiæ Catholicæ penitus necessaria. O Deus meus, & Magister meus... O tempora nostra infelicia!*

11. „ Qui amat periculum proximum peccati formalis non dubie, sed „ certo talis, in illo peribit, immo perit: concedo assumptum. Qui amat „ periculum non proximum peccati formalis, & multo magis periculum „ non proximum peccati materialis, peccat: nego assumptum." *De consc. q. 25. n. 20 p. 494.*

12. „ Sed peto ab adversariis, *an via vitæ non esset arcta ab initio Ecclesiæ, quando præter fidem, & observationem Decalogi, ac dignam Sacramentorum susceptionem nulla præcepta urgebant*. Utique, dicent, erat arcta: sed „ peto iterum utrum qui nunc nihil ageret, nisi quod esset ad minimum „ certo probabile, & *juxta laxiorem* viam inter certo probabilia incederet: „ peto, inquam, *an iste non tam rigide*, immo longe rigidius *viveret quam vivere obligarentur fideles in Primitiva Ecclesia*? Indubitanter via operandi nunc certo probabilis longe arctior est, quam tunc erat via sub præcepto necessaria. Ergo Casuistæ non effecerunt, ut via illa arcta nullatenus laxata fuerit." *Ibidem quæst. 25. n. 25. p. 497.*

13. „ Desinant in meridiana luce cæcutire, & aperta veritate convicti „ tan-

„ tandem fateantur, benignam sententiam semper in Ecclesia viguisse, „ rigidam vero ante Jansenismum numquam fuisse auditam. " *Ibidem q. 22. n. 113. p. 358.*

14. „ In vitam singulorum inquirant, & procul dubio invenient eos „ multa & fecisse, & factitare, quæ solum probabiliter sunt licita: idque „ ipsi, si conscientiam examinent, verum esse invenient. Atque hinc *præ-* „ *sumptio est eos interius non sentire, quod exterius profitentur*, alioquin es- „ sent homines impii... Quid ergo ponderis habet eorum auctoritas in „ quæstione hac, in qua, quando ad rem venitur, aliter credunt, quam do- „ cent? " *De Conſ. q. 22. n. 37. p. 231.*

15. „ Hæc regula efficaciter ostendit licitum esse in materia morum, „ & *Fidei* sequi opinionem minus probabilem, probabiliore relicta. " *Ibidem q. 27. n. 24.* Assert. 3. damnata est.

16. „ Suppono nunc ex optimorum Theologorum doctrina nullum *pec-* „ *catum Theologicum*, quo scilicet aliquo modo separamur a fine ultimo, „ & meremur pœnas illas horrendas damni, & sensus, quas Deus pravis „ nostris actionibus pro futura vita destinavit, committi posse *cum invin-* „ *cibili* Dei ignorantia, immo nec absque actuali cognitione. " *De Consc. q. 11. n. 1. p. 156.*

17. „ Quidquid a viro probo, & perito post diligentem rei considera- „ tionem, non ex passione, sed irreprehensibiliter judicante existimatur „ probabile, est certo probabiliter tale. " *Ibidem quæst. 5. Assert. 10. n. 29. pag. 69.*

18. „ Immo non solum plures, sed *unus vir* doctrina, & pietate præstans „ si de novo in dubium vocet probabilitatem cujusvis sententiæ, *etsi com-* „ *munissimæ*, & profiteatur se novis, magnisque rationibus ductum id face- „ re, *sua auctoritate efficit ne illa opinio sit amplius certo probabilis quoad* „ *nos*. " *De Consc. quæst. 6. Assert. 9. n. 24. p. 85.* Relatæ sunt Tom. II. Apparat.

§. XX.

P. Gregorii Valentiæ Soc. Jesu propositiones laxæ.

1. „ POtest quis conferre spirituale propter temporale principaliter, „ tamquam propter finem, ita ut temporale apud eum non sit et- „ tiam finis ipsius rei spiritualis (quasi temporale pluris ab eo, quam „ spirituale æstimetur) sed tantummodo *voluntatis, sive applicationis animi* „ ad actum conferendi spirituale. Et hoc non est Simonia. Nam tunc „ non propterea vel tanti, vel pluris æstimatur temporale, atque spiri- „ tuale. Et isto modo est vera secunda opinio Soti. " *Tom. 3. disp. 6. q. 16. punct. 3. p. 1526. edit. Venet. 1598.*

Bro-

Propositio damnata reperitur ut jacet in P. Valentia *Tom.* 3. *disp.* 6. *punct.* 3. & in aliis auctoribus.

2. „ Patet non esse Simoniacum, si quis obsequium, aut aliquod munus „ temporale Episcopo impendat, spe consequendi ab illo titulo gratitudi- „ nis aliquod beneficium spirituale: sicut Doctores communiter tradunt. „ Nam similiter tunc spirituale non expectatur, ut pretium obsequii, sed „ ut compensatio gratuita. *Ibidem p.* 1522.

3. „ Item neque vicissim erit Simonia, si Episcopus ut se liberet ab „ obligatione gratuita sive antidorali, qua tenetur, propter acceptum ob- „ sequium ab aliquo, conferat ei beneficium spirituale. " *Ibidem pag.* 1522.

§. XXI.

P. Gabrielis Vasquez Soc. Jesu propositiones laxæ.

1. „ Unde vix in Sæcularibus invenies etiam in Regibus superfluum „ statui. " *Opusc. de Elem. cap.* 4. *n.* 14. *pag.* 20. *edit. Lugdunen.* 1631.

2. „ Observandum est satis probabile videri non esse peculiare pecca- „ tum sacrilegii, cum effunditur semen, & sanguis occulte in Ecclesia. " *In* 1. 2. *D. Th. q.* 72. *disput.* 98. *c.* 3. *p.* 463.

3. „ Dicendum est, peccata luxuriæ contra naturam etiamsi magis tur- „ pia appareant, & majori nota infamiæ digna sint, ex genere tamen „ suo minora esse, quam peccatum furti. " *In* 1. 2. *D. Th. q.* 73. *art.* 4. *n.* 30. *pag.* 480.

§. XXII.

P. Dominici Vivæ Soc. Jesu propositiones laxæ.

1. „ Verum quidem est quod possit *propter se* intendi directe oblectatio „ aliqua, quæ reperitur in ludo v. g. in olfactu floris, in auditione „ musicæ, & in aliis actibus moraliter indifferentibus. " *In Tract. in Prop.* 8. *Innocent.* XI. *n.* 6. *p.* 29. *edit. Patav.* 1711.

2. „ Propterea ex ea probabili opinione solum sequitur, quod huic obli- „ gationi satis fieri possit per eleemosynas factas post horarum omissionem, „ etiamsi tunc non venisset in mentem hoc debitum. " *In Tract. in Prop.* 33. *Alex. VII. n.* 9. *p.* 65.

3. „ Ad levandum *onus* hoc *maxime molestum* restitutionis prima via est, „ quam docet Sanchez... cum... Navar. Arag. & aliis communiter,

„ quod

„ quod scilicet si Beneficiarius sit pauper sibi, applicet eleemosynas facien-
„ das pauperibus, cum non sit pejoris conditionis ipse quam alii, etiamsi
„ olim deliquerit. " *Ibidem n.* 10. *p.* 65.

Nemo judex in propria causa.

4. „ Secunda est, quam docet Mendo in Epitome V. Bulla Composi-
„ tionis, adire Episcopum, ubi Bulla Cruciatæ non viget; is enim potest
„ in sua Diœcesi, non secus ac Pontifex pro toto orbe, componere bona
„ omnia pauperibus debita acceptando partem ex iis, quæ debentur, ut
„ illam in usus necessarios utilitati publicæ convertat, & remittendo de-
„ bitori partem aliam prout in Domino judicaverit. Spectat quippe ad
„ Pastorem animarum hujusmodi potestas, ne fiant æternæ damnationi ob-
„ noxii, *qui difficile* integra debita incerta restituunt. " *Ibidem num.* 10. *pag.* 65.

Oppositum statuit Lateranense Concilium.

Relatæ sunt Tom. I. & II. Theolog. Christian.

5. „ Qui vero habet consuetudinem tam jurandi, quam mentiendi, non
„ tamen conjungendi juramentum cum mendacio, si quoties jurat adverten-
„ ter jurat, & procurat non conjungere cum juramento mendacium, ne-
„ que tenetur sub mortali talem consuetudinem extirpare. " *Tom. I. part.* 2. *q.* 7. *art.* 7. *n.* 3.

6. „ Quando tamen non occurrit commoda æquivocatio, aut restrictio
„ externa, si causa sit gravis, rustici possunt *usu duplici scientiæ* (commu-
„ nicabilis, & incommunicabilis) *facile obvio* veritatem occultare, non
„ animo decipiendi, sed solum permittendo deceptionem. " *In Tract. in Prop.* 27. *Innoc. XI. n.* 14. *p.* 70.

Sensus est, quando non occurrit restrictio externa, utere interna.

7. „ *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*. Pro-
„ positio damnata solum vult id non licere *regulariter*, esto in aliquibus
„ circumstantiis possit id licere. " *In Propos. damn.* 19. *Alexand. VII. n.* 10. *pag.* 60.

8. „ Potest quidem vir nobilis volentem impingere alapam gladio im-
„ pedire, & ut multi docent... etiam defensione *occisiva* se defendere. " *In Prop. damn. Alex. VII.* 17. & 18. *n.* 9. *p.* 59.

9. „ Ut possit invasor licite interfici, duo requiruntur, & quod eviden-
„ ter damnum grave inferat, & quod evidenter non possit moraliter alia
„ via damnum illud impediri... Sed in casu nostro, nec est evidens quod
„ damnum grave sequatur ex hoc quod aliquis nitatur calumniam infer-
„ re.... nec est evidens quod non possit aliter gravis infamia declinari,
„ nempe per judicem adhibendo testes. Et quamvis aliquando possit ali-
„ cui utrumque evidens apparere... non proinde licita esse potest calum-
„ niatoris occisio, quia facile homines ex passione hallucinantur: unde de-

„ buit absolute a natura tale medium ad vitandam calumniam prohibe-
„ ri... Et quia bonum publicum prævalere debet privato: ideo *toleran-*
„ *da potius in aliquo casu ab innocente aliqua dehonoratio*, quam permit-
„ tenda defensio isthæc occisiva. " *Tract. in Prop. 17. Alex. VII. num. 4. pag. 58.*

Commenta P. Caroli Noceti, ut mitissime loquar, vana sunt, & arbitraria.

10. „ Constat damnum occidi posse cum moderamine inculpatæ tutelæ
„ invasorem vitæ, pudicitiæ, *honoris*, bonorum externorum magni valo-
„ ris, & quidem etiam proximi, ut docent communiter cum Filliucio,
„ Molina, Azorio, apud Dianam. " *Ibidem n. 12. p. 60.*

11. „ Vir equestris ex communi doctrina apud Lessium... non tenetur
„ fugere aggressorem cum suo dedecore, sed potest ab illo se defendere de-
„ fensione occisiva. *Ibidem n. 6. p. 58.*

12. „ Si aliquando amissio unius aurei foret alicui pauperi ingens dam-
„ num, ut si artifici tollatur instrumentum suæ artis, quo sublato non pos-
„ sit suam, ac suorum vitam sustentare, tunc poterit illud defensione oc-
„ cisiva custodiri; & ideo propositio damnata solum vult id non licere
„ *regulariter*, esto in aliquibus circumstantiis possit id licere. " *Ibidem n. 16. pag. 60.*

13. „ Dubitatur hic an possit absolvi, qui in occasione peccandi proxi-
„ ma versatus est antequam illam tollat, præsertim si in alia confessione
„ id promisit, & deinde non stetit promissis? Nonnulli putant absolvi
„ non posse extra casum necessitatis.... Communius tamen cum Suarez,
„ Tabiena, & aliis censent posse hujusmodi pœnitentem absolvi semel,
„ ac iterum, si apparent hic, & nunc vera signa doloris, & propositi effi-
„ cacis tollendi statim occasionem proximam... Ratio cur videatur posse
„ prima, & secunda vice absolvi est, quia potuit pœnitens aut imme-
„ diate ante, aut audiendo concionem, aut audiendo ipsius Confessarii
„ admonitiones excitari ad verum, & efficax propositum non peccandi,
„ in quo casu est sufficienter dispositus. Sic *passim* absolvuntur pœnitentes,
„ per hoc quod proponant restituere, quamvis ante confessionem non re-
„ stituerint, prout poterant... Neque ex propositione illa 61. Innoc. XI.
„ eruitur quod absolvi non possint. Nam qui proponit occasionem statim
„ tollere, non potest dici, quod illam velit de præsenti. " *In Prop. 41. Alex. VII. n. 16. p. 124.*

14. „ Distinguendæ tamen sunt actiones malæ leviter influxivæ ad com-
„ motionem spirituum, & pollutionem ab actionibus graviter influxivis.
„ Nam si leviter sunt influxivæ, ut nonnulli aspectus mulierum, nonnulli
„ tactus, nonnullæ comædiæ, & lectiones librorum obscenorum, nonnulla
„ verba amatoria; v. g. dicendo, *Cor meum, anima mea* ob solam vanita-

„ tem,

„ tem, &ad conciliandum vanum amorem, communius docent cum Vasquez, „ Salas, Mess. Bonac. apud Dianam, & Tamburinum, quod non excedant culpam venialem, QUAMVIS IN IIS PRÆVIDEATUR etiam „ pollutio secutura, dummodo absit periculum consensus, aut grave scandalum... Immo communius etiam docent cum Diana, quod non solum „ actiones leviter influxivæ in pollutionem, atque adeo in genere luxuriæ „ leves, careant culpa mortali, si prævideatur pollutio, & non intendatur, nec subsit periculum consensus; sed etiam actiones mortaliter malæ, „ sed non in genere luxuriæ, ut sunt crapulæ, nimius potus, non contrahunt malitiam gravem spectantem ad luxuriam, si prævideatur ex „ eis pollutio secutura citra periculum consensus." *In Prop.* 40. *Alexan.* „ *VII. n.*16. *p.*119.

15. „ Conveniunt Doctores.... posse famulos uti occulta compensatione, tum quando sibi denegatur ab heris salarium ex pacto debitum; „ tum etiam quando evidenter constat non quidem ex mero judicio famulorum, sed ex communissimo peritorum sensu, injustitiam ab heris „ committi in solutione salarii juxta communem æstimationem debiti, „ spectatis omnibus circumstantiis, ratione quarum potest pretium famulatus præstiti crescere, aut decrescere." *Tract. in Propos.* 37. *Innocent.* *XI. n.* 1. *p.*90.

16. „ Esto in his casibus observandæ sint conditiones a DD. requisitæ, „ ut fieri possit occulta compensatio, quarum prima est.... Altera... Tertia quod non possit *facile* viæ juris debitum obtineri: *quamvis probabiliter si hæc conditio desit,* non peccet mortaliter qui utitur compensatione, „ ut docet Diana." *Ibidem p.*90.

17. „ In feminis autem probabiliter... desinit obligatio jejunandi inchoato anno quinquagesimo." *In Theolog. Moral. Tom.* 1. *Tract.* 8. *cap.* 3. *dub.* 1. §. 1.

18. „ Certum est jentaculum sumi posse: dubium vero, an hi cibi „ substantiales sint exclusi. Igitur prævalet libertas illos assumendi. Sic discurrit Tamburin. cujus sententiam non amplecterer, nisi putarem consuetudinem jam introductam, ut etiam exigua parte piscis majoris „ cum pane vesci possimus in debita quantitate octo unciarum: quam si „ quis parum excederet addendo unam, vel alteram unciam, non nisi venialiter peccaret." *Loc. cit. art.* 3. *n.* 3.

19. „ Si probabiliter, vel certo moraliter sciant Tabernarii quod hospites, peccent cœnando, DD. Navar. Tolet. Medina, & alii apud „ Dianam permittunt quod illis cœna ministretur. Quod etiam docet Sanchez. Ratio est, quia ministratio illa, immo & ultronea invitatio, „ non fit directe ad non jejunandum; sed solum ex intentione fieri invitantur ad cœnam veluti conditionate, hoc est: si velitis cœnare, cœnate

„ potius apud me, quam divertatis ad alium." *Tom. 1. pag. 2. quæst. 10. art. 4. n. 7.*

20. „ Utrum autem peccet venialiter qui bibit, aut comedit solum „ ob delectationem? Joan. Sanchez apud Dian. Part. 3. Tract. 5. Resolut. 6. „ Martinus Perez, Escobar, & alii negant, si non noceat saluti, sicut „ non peccat qui videt res pulchras, & olfacit odores solum propter dele- „ ctationem. Neque id damnatur ab Innoc. XI. Nam propositio damnata „ dicit: *Comedere & bibere ad satietatem ob solam voluptatem non est pec- „ catum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus suis actibus „ frui*. Quando enim ad satietatem quis comedit, aut bibit ob meram „ voluptatem, facile limites temperantiæ debitæ prætergreditur, & ideo „ venialiter peccat, *quod non accidit, neque si comedat aliquid, aut bibat „ propter voluptatem*, non tamen ad satietatem cum periculo intemperan- „ tiæ." *Tom. 1. p. 2. q. 10. art. 1. n. 7.*

21. „ Dico quod si probabiliter tantum credatur legislator aut non „ potuisse, aut noluisse in tali casu verbis legis comprehenso obligare, „ possit etiam subditus licite in eo casu legem non servare..... Unde id „ verum est non solum si subditus habeat formidinem de opposito, „ sed etiamsi detur ex altera parte *probabilitas* quod legislator potuerit, „ ac voluerit obligare." *Tom. 1. quæst. 6. art. 6. n. 4.*

22. „ Quod si ex opinione probabili pœnitens putet hic & nunc se „ non teneri, debet Confessarius accommodare se opinioni pœnitentis, si „ vere talis opinio sit probabilis, quamvis ipse contrariam sententiam se- „ quatur. Ratio est, quia quando pœnitens est rite dispositus, debet ab- „ solvi. Est autem rite dispositus, si opinionem probabilem sequatur, quod „ non debeat restituere. Ergo tunc absolvi debet." *Quæst. 1. art. 5. n. 2.*

23. „ Tertio docent multi cum Lessio cap. 19. dub. 3. Molina, Grana- „ dos, & aliis, quod qui ex testamento minus solemni habere debet lega- „ tum, possit illud sibi retinere, vel compensationem facere: eo quod „ *probabilis sit sententia* quod jure naturæ hujusmodi testamentum sit vali- „ dum, atque adeo in foro conscientiæ debeantur legata in eo facta; quam- „ vis contraria opinio sit satis communis, & probabilis." *Tom. 1. part. 3. quæst. 6. art. 5. n. 12.*

24. „ Quarto docet *Lessius ibidem*, posse heredem ab intestato uti com- „ pensatione occulta contra eum, qui bona defuncti possidet ex testamen- „ to minus solemni; quia *probabilis est sententia*, quod ea bona debeantur „ heredi ab intestato, cui opinioni potest se conformare." *Ibidem.*

25. „ Sequitur quarto posse Sacerdotem, qui pecunia credita decem Mis- „ sas celebravit, si non possit pecuniam hanc recuperare, oblatis deinde „ decem Carolenis pro aliis decem Missis, pecuniam hanc retinere, & „ alias Missas NON celebrare, ut notat Pejerinus apud Tamburinum

„ Lib.

„ Lib. 3. de Sacrificio Missæ cap. 1. §. 3. dummodo tamen vitet damnum „ tertii, videlicet, aut animæ purgantis, aut infirmi &c. " *Tom. 1. part. 3. q. 6. n. 9.*

26. „ Qui invasus ab altero sive armis, sive contumeliis, si *potest* fuge- „ re, & malum declinare, non tamen fugit, sed cum debita moderatio- „ ne se defendit, non tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia quamvis „ aliquando non fugiendo peccet contra caritatem, si scilicet sine dispen- „ dio honoris fugere poterat; at non peccat contra justitiam. Ergo non „ tenetur ad restitutionem. " *Tom. 1. part. 3. q. 7. art. 1. n. 2.*

27. „ Quare licitum est vendere aleas, & taxillos, *quamvis advertam* „ emptores iis male usuros: possum etiam vendere Judæis agnum, & flo- „ res, possum vendere fucos, & ornamenta meretricibus, cibos iis, quos scio „ violatores jejunium. „ *Tom. 1. part. 4. q. 2. art. 2.*

28. „ Præterea si collectores eleemosynarum pro Missis sint Sacerdotes, „ & non tradantur iis Missæ celebrandæ, sed se habeant ut laici, qui cu- „ rant Missarum celebrationem; poterunt ex Nav. Cord. Tambur. probabi- „ liter contra Pelizar. Soto Lib. 9. de Just. quæst. 3. moderatam pro labo- „ re mercedem *ex datis pro Missa* suscipere, cum id videatur licitum jure „ naturæ. " *Tract. in Prop. 9. Alex. VII. n. 8. p. 34.*

29. „ Hinc cum videatur esse moraliter certum, non requiri in Sacra- „ mento pœnitentiæ... propositum non peccandi de cetero formale, sed „ *sufficere virtuale*, ut videre est apud Dicastillum..., ac sufficere etiam „ attritionem supernaturalem ex metu pœnarum temporalium, ut a Deo „ vindice infligendarum, & alia hujusmodi; idcirco licite sequimur hu- „ jusmodi opiniones probabilissimas, omissis tutioribus. " *In Tract. prop. 1. Innoc. XI. n. 26. p. 15.*

30. „ *An peccator, qui non potest aliquo anno ex defectu Confessarii confite-* „ *ri, teneatur ad contritionem antequam annus elabatur?* " Ita respondet. „ Affir- „ mat Dominicus Soto... quia præcepti pœnitendi divinum, quod ex se „ indeterminatum est, jam ab Ecclesia est determinatum ad singulos an- „ nos... Juxta illam regulam: *qui non potest quantum debet, solvat quan-* „ *tum potest:* & juxta illam aliam: *qui non potest totum, reddat partem quam* „ *potest*.

„ Respondeo equidem cum Con. aliisque *communiter NEGATIVE*: falsum est „ enim, quod Ecclesia determinarit tempus illud indeterminatum pœni- „ nitendi in genere, ad quod obligamur ex divino præcepto. Solum enim „ determinavit tempus confitendi indeterminatum. Cum autem in tali „ casu sit impossibilis confessio, non videtur peccator teneri ad contritio- „ nem, & ratio ulterior est quia cum conteri sit aliquod mere internum, „ non cadit sub præcepto Ecclesiæ, neque ratione sui, & directe, ut pa- „ tet, neque ratione alterius, & indirecte, hoc est ratione Sacramenti „ &c.

„ &c. Ad regulas adjunctas. *Qui non potest totum &c.* Respondeo eas valere, quando totum, & partes sunt *homogeneæ*... non vero quando sunt *heterogeneæ*. " *Quæst.* 3. *art.* 1. *n.* 8.

31. „ Verum est quod præceptum divinum contritionis obliget peccatores ad non differendum diu, & usque ad mortem pœnitentiam. Hinc tamen non fit, quod impotens aliquo anno suscipere sacramentum pœnitentiæ teneatur saltem conteri. " *Ibidem*.

32. „ Nec lex gratiæ præstaret legi antiquæ, aut Mosaicæ, aut naturæ, in quibus sufficiebat contritio sine confessione sacramentali. UNDE NON JUGUM CHRISTI DICI SUAVE, ET ONUS LEVE... Ergo dicendum contritionem in sacramento non prærequiri, sed sufficere meram attritionem ex mero pœnarum metu conceptam. " *In Tract. in Prop.* 15. *Alex. VII. n.* 20.

33. „ Unde inferunt Perez, Leander, Lugo, aliique, posse absolvi adolescentes, qui versantur cum feminis laborando, *vel conversando cum iis, qui in eadem domo non habitant*: quia licet aliquando in tali occasione mortaliter peccent *consensu, tactibus, & etiam copula, ea tamen occasio censetur de se remota. Quando quidem non solent homines ex tali occasione SEMPER, AUT FERE SEMPER PECCARE MORTALITER.* " *Quæst.* 3. *art.* 4. *n.* 5.

34. „ Quare satis est in Confessione dicere: Toties morose delectatus sum de copula illicita, non explicando an cum nupta, vel Moniali, consanguinea &c. vel toties morose delectatus sum de occisione hominum, non explicando, an sit circa patrem vel Sacerdotem, vel inimicum, aut alterius conditionis. " *Quæst.* 5. *art.* 4. *n.* 2.

35. „ Si quis alium sollicitavit, & peccatum non est secutum, debet id in confessione explicari; si tamen peccatum est secutum, putat probabiliter de Lugo, Tamburinus contra Sanchez, & Bonacina non esse explicandum, quod primus invitaveris, quia quamvis graviter peccaveris invitando, adhuc tamen es particeps peccati illius, etiamsi non invitaveris. " *Quæst.* 5. *art.* 4. *n.* 10.

36. „ An qui certus est de peccato mortali commisso, dubitat tamen positive, an illud confessus fuerit, ita ut habeat rationem probabilem quod confessus fuerit, & probabiles etiam, immo probabiliores rationes quod non fuerit confessus, teneatur illud confiteri? Respondeo pariter negative cum communi Doctorum, quos citat Martinus Perez contra Coninck apud Dianam. " *Quæst.* 2. *art.* 2. *numer.* 3. *Curs. Theol. Moral.*

37. „ Respondeo, fere communissimam antiquorum Doctorum sententiam fuisse, quod teneatur homo peccata negative dubia clavibus subjicere. Et Thomas Sanchez id omnino certum reputat... Hac de causa P.

„ Mar-

„ Matthæus Moya nostræ Societatis, qui fuit a Confessionibus Mariæ Annæ Hispaniarum Reginæ in selectis quæstionibus de Sacramento pœnitentiæ, postquam asseruerat opinionem se contrariam per triginta annos etiam in Scholis docuisse, Disp. 1. quæst. 5. hæc habet. Nihilominus re maturius considerata standum censeo pro contraria, & communi sententia asserente obligationem peccati dubii, ad quod hoc uno efficaci argumento ducor, quia Sacramentum pœnitentiæ institui potuit a Christo Domino cum hac obligatione. Quod autem instituerit, suadet communior Catholicorum sensus, & traditio a tempore Apostolorum usque ad nostra continuata tempora, ratione cujus velut *incuncussum Dogma* præceptum confitendi peccata dubia æque, ac certa, non tam probarunt, quam supposuerunt Doctores: ut enim ait August. Lib. 4. contra Donat. *quod universa tenet Ecclesia &c.* " *In Curs. Theolog. Moral de pænit. quæst. 11. art. 2. num. 6.*

38. „ Neque dicas praxim Ecclesiæ, & consensum Doctorum per sedecim sæcula uniformiter existimantium institutum esse a Christo Domino Sacramentum pœnitentiæ cum obligatione confitendi peccata reddere nos certos de tali lege, & institutione. Nam quamvis VERUM sit quod usque ad præteritum sæculum vix unus auctor reperiatur, qui aperte NOS deobliget a confitendis peccatis negative dubiis, at non inde id certum est, quia in sententiam obligantem omnes scriptores calamo iverint, sed quia ab ea quæstione abstinuerunt. Cum autem *Nunc* in terminis agitetur, & plurimi sententiam deobligantem sequantur, hæc reddita est probabilis. " *Quæst. 2. art. 2. num. 7.*

39. „ Immo Lugo Disput. 27. Sec. 2. num. 24. putat eum, qui lucratur indulgentiam, non obligari ad pœnitentiam, *etiam si detur in medicinam*: quia medicus non præcipit, sed suadet remedium, & solus judex præcipit pœnam. Quare si non tenetur pœnitens ratione indulgentiæ ad pœnam, quæ præcipitur, nec tenebitur ad medicinam, quæ solum suadetur, nisi forte aliquando ad illam obligetur jure naturali, ne facile labatur. " *Quæst. 6. de Pœnit. art. 1. num. 1.*

40. „ Respondeo jurisdictionem conferri, non solum quando errori communi adjungitur titulus coloratus .... sed etiam *probabiliter* si error communis non conjungatur cum titulo colorato; puta si Sacerdos non habens jurisdictionem, bona, vel *mala fide* exponat se Confessionali ad Confessiones audiendas, communiter censetur approbatus. Ita Diana, Molfesius ... Debet autem hic error esse probabilis, non vero supinus, aut crassus. " *Quæst. 8. art. 1. num. 16.*

41. „ Videtur non licere conficere Sacramentum pœnitentiæ cum jurisdictione probabili, saltem quando potest haberi jurisdictio certa. Nihilominus censeo licitum esse absolvere cum jurisdictione probabili ....

„ Hinc

„ Hinc ſequitur ab Innocentio XI. in prima ex ejus proſcriptis theſibus „ non eſſe damnatam hanc ſententiam : quia debuiſſet aperte illam „ damnare, ſi voluiſſet, quod non ſolum in iis, quæ pertinent *ad materiam, & formam Sacramenti*, ſed etiam in iis quæ pertinent ad *jurisdictionem* ſequamur opinionem tutiorem, omiſſa probabili, ut *multi viri docti cenſent*. " *Quæſt. 8. art. 2. num. 1. & 2.*

43. „ *Quæritur ſecundo an ignorantes reſervationem, illam incurrant, & idem „ quæritur de non advertentibus ad illam, dum actu peccant*?" Poſt multa ſic concludit. „ Quare a primo ad ultimum nec reſervationem, neque ex- „ communicationem incurrunt, qui illas ignorant: & quia communiter Do- „ ctores inadvertentiam actualem, & oblivionem æquiparant ignorantiæ in- „ vincibili, & inculpabili, inde fit, quod *non advertens ad pœnam ſive reſer- „ vationis, ſive cenſuræ, illam non incurrat*, non ſecus, ac ſi ignoraret. Unde San- „ chez Lib.4.c.22. docet, quod ſi quis v. g. in pœnam perjurii voviſſet jejuna- „ re quoties mentitur, ſi deinde mentiatur advertens ad votum non men- „ tiendi, non vero ad pœnam impoſitam jejunandi; peccaret quidem, ſed „ non teneretur jejunare, ex hoc ſcilicet principio, quod pœna extraor- „ dinaria, & medicinalis non incurratur ab eo, qui illam ignorat, aut „ non advertit ad illam. " *In Cur. Theolog. quæſt. 9. art. 3. num. 2.*

44. „ Dubitatur hic, an poſſit abſolvi, qui in occaſione peccandi pro- „ xima verſatus eſt, antequam illam tollat; præſertim ſi in alia confeſſio- „ ne id promiſit, & deinde non ſtetit promiſſis. Nonnulli cum Con. diſp. „ 8. de pœnit. num. 133. Fil. Azor. Sanch. putant abſolvi non poſſe ex- „ tra caſum neceſſitatis, immo Cardenas Diſp. 40. Cap. 5. art. 4. n. 180. „ putat id colligi ex propoſitione 61. Innoc. XI. ubi damnatur quod ab- „ ſolvi poſſit, qui in proxima peccandi occaſione verſatur, quam poteſt, „ & non vult omittere. Et ratio videtur eſſe, quia qui ad Sacramen- „ tum pœnitentiæ accedit antequam occaſionem illam tollat, cenſetur eam „ nolle ejicere; atque adeo ſine debito propoſito efficaci non peccandi de „ cetero accedere; quandoquidem in hoc ipſo quod occaſio peccandi non „ tollatur, quando poteſt tolli, peccatur. Neque obſtat quod dicat habe- „ re propoſitum tollendi: nam ſi ſolum proponit illam tollere de futuro, „ & non ſtatim tollit, eo ipſo vult de præſenti in ea occaſione manere, „ atque adeo peccat, ſicut qui appropinquante leone proponit fugere, & „ non ſtatim fugit, cenſetur velle in periculo mortis manere.

„ Communius tamen Suar. Diſp. 32. Sec. 3. Tabiena, & alii cenſent, poſ- „ ſe hujuſmodi pœnitentem abſolvi ſemel, & iterum ſi appareant hic, & „ nunc vera ſigna doloris, & propoſiti efficacis tollendi ſtatim occaſionem „ proximam: immo Corduba, Cajet. & alii putant quod poſſit *etiam ter- „ tia, & quarta vice abſolvi*; eſto ſæpe expediat abſolutionem differre, quo- „ uſque proxima illa occaſio tollatur. Debet tamen omnino abſolvi etiam

„ ante

„ ante separationem ab illa, tum si instet mortis periculum, tum si dilata „ absolutione credatur non habiturus ille opportunitatem redeundi, aut ex „ alia causa non rediturus. Ratio cur videatur posse prima, & secunda vice „ absolvi, est quia *potuit pœnitens; aut immediate ante, aut audiendo concionem*, „ *aut audiendo ipsius Confessarii admonitiones excitari ad verum, & efficax proposi-* „ *tum non peccandi, in quo casu est sufficienter dispositus. Sic passim absolvuntur* „ *pœnitentes per hoc quod proponant restituere, quamvis ante Confessionem non re-* „ *stituerint prout poterant*: quia ex admonitione Confessarii *potest* hic & nunc „ consurgere verum propositum restituendi, quod ante Confessionem vel „ erat debile, vel putabatur sufficiens, esto per aliquod tempus opportu- „ num restitutio esset differenda. Ergo hoc idem fieri potest in eo, qui te- „ netur proximam occasionem tollere. Neque ex propositione illa 61. In- „ noc. XI. eruitur, quod absolvi non possit: nam qui proponit occasionem „ statim tollere, non potest dici, quod illam velit de præsenti; sicut non „ dicitur velle periculum mortis, qui appropinquante leone proponit fu- „ gere statim ac potest. Caute tamen in hoc procedendum, eo quod pas- „ sim hujusmodi propositum non est efficax in eo, qui potuit antecedenter „ occasionem peccandi tollere, & nondum sustulit. “ *In Trutin. in propos.* 41. *Alex. VII. num.* 16.

45. „ Si speratur quod pœnitens advertens v. g. matrimonium esse invalidum, „ aut contractum, quem putat justum, esse injustum &c. sublaturus sit ea pec- „ cata materialia, tenetur Confessarius ignorantiam detegere propter bo- „ num pœnitentis, ne sic contra legem Dei peccet etiam materialiter. „ Quod si non speretur profectus, sed potius timeatur quod peccatum ma- „ teriale deinceps sit futurum peccatum formale, v. g. si sciens matrimo- „ nium esse invalidum, *non facile* tunc abstineret a cognoscenda illa, quam „ conjugem putabat; in tali casu ignorantia non est amovenda, juxta illud „ August. Si quis &c. “ *Part.* 6. *quæst.* 8. *art.* 5. *num.* 4.

46. „ Denique docet Tamburinus ex Pellizzario, quando *quis bona fide* „ *est in occasione proxima, nec speratur emendatio: vel quando quis bona fide* „ *non restituit alienum*: etenim revelatio veritatis *noceret pœnitenti*, si deinde „ cum culpa formali *remaneret in occasione proxima, aut retineret alienum*. Nec „ hoc prodesset ei, cui alienum restituendum est, quia supponimus non da- „ ri spem quod restituatur, si bona fides illi tollatur. “ *Ibidem*.

Nocuit animabus Christus veritatem manifestando?

47. „ Resp. cum Lugo Lib. primo Resol. Moral. Dub. 25. quod si diver- „ sitas opinionum se tenet ex parte Confessarii, poterit Confessarius quam „ maluerit sequi: v. g. si una opinio doceat posse Confessarium absolvere in „ talibus circumstantiis, altera doceat non posse: una doceat haberi juris- „ dictionem a Confessario, altera non haberi . . . poterit profecto Confes- „ sarius regulariter loquendo sequi opinionem, *quam maluerit*; & sic juxta

„ opinionem negantem poterit absolutionem negare: esto aliquando *ex Caritate teneatur sequi opinionem favorabilem pœnitenti*, puta si pœnitens sit in „ mortis articulo, nec sit alius Confessarius. " *In Curs. Mor. quæst. 7. art. 2. num. 6.*

48. „ Quod si diversitas opinionum se teneat ex parte pœnitentis; puta, „ si una opinio doceat pœnitentem teneri ad restitutionem, & removendam talem occasionem, ac acceptandam talem pœnitentiam: altera opinio doceat non teneri: *non potest absolutio negari, si pœnitens sequatur opinionem sibi favorabilem*, dummodo probabilem, etiamsi Confessarius sit „ in opinione contraria. " *Ibidem.*

49. „ Benedictio nuptiarum non videtur esse res gravis, nec valde congruens progressu matrimonii. Etenim benedictio nuptialis non est Sacramentum, sed quoddam Sacramentale, nec tanti momenti, quanti Sacramentalia, quæ baptismo præmittuntur. Quamvis autem non vacet culpa „ veniali illam simpliciter omittere sine ulla causa contra usum, & consuetudinem Ecclesiæ; nihilominus probabile est nullam esse culpam ex „ justa causa, videlicet ratione temporis feriati in Adventu, aut Quadragesima consummare Matrimonium ante benedictionem Ecclesiæ, cum videatur esse consilium, non præceptum illam præmittere. " *Quæst. 4. art. 4. num. 6.*

50. „ Demum, si alter habeat opinionem probabilem de nullitate Matrimonii, & simul habeat opinionem probabilem de ejus valore, licite „ potest petere, & reddere, cum possit amplecti alterutram opinionem „ probabilem, quam mavult, etiamsi una sit probabilior, quam altera. " *De Sacram. Matrim. quæst. 7. art. 3. n. 9.*

§. XXIII.

P. Francisci Zech Soc. Jesu propositio laxa.

1. „ UT Clerici ex reditibus beneficialibus licite, & valide testentur „ ad causas profanas, efficere potest consuetudo rationabilis. " *In Opere inscripto* Rigor Moderatus *sub finem.*

EPI-

EPISTOLA VI.

AD

P. CAROLUM NOCETIUM

SOC. IESU.

ARGUMENTUM.

Ad hanc vero opellam, qualiscumque sit, consueta diverticula, mordaces declamationes, scommata, ultrices satyras, quas ipse appellat plautinos sales, expecto. Responsiones ad rem, responsiones nimirum, quibus superiora capita percurrendo doceat, quodnam sit, in quo modo plus, modo minus a bona fide non defecerit, non expecto. P. Carolus Nocetius. Pag. 314.

I. AB ultimis tuis verbis, mi Noceti, initium capio. Imperitiæ, ignorantiæ, & cujuscumque alterius generis culpæ accusare Concinam potes: malæ fidei, imposturæ, calumniæ sane non potes. Non minus ille suæ sinceritatis, fideique bonæ certus est, quam sit, se vivere. Cujus rei non alios appellat testes, quam temet ipsum. Utique illum singulis fere pagellis, imposturæ, calumniæ, perversitatis criminaris; at reipsa tandem velis, nolis fasces subjicis, & facto confiteris jure summo illum Casuistas tuos laxitatis postulasse. Siquidem ex trecentis circiter propositionibus, quas ex Casuistis Jesuitis, & in catalogis, & in ejusdem Theologiæ Christianæ corpore collectas exhibuit, vix duodecim carpere, & in disputationem adducere ausus es. Et has duodecim sinceritate summa a Concina rescriptas esse partim jam patefactum est, partim fiet; cum scilicet Magister Dinellius impleverit opus. Citationes, argumentationes, verborum indices, rationes, quibus Auctores suas firmare opiniones tentarunt, non esse rescriptas: atque adeo truncatas opiniones, repræsentare imperitis studuisti. Ex his quisquiliis, & cavillationibus quinque supra centum consarcinasti capita. Quid inde? Centum & quinque opiniones minus sincere rescriptas, te apposuisse gloriaris. Cum tamen, ut dixi alias, & repetendum iterum est, ex centenis in catalogis recensitis, vix duodecim criminari tentasti, ut ex libro tuo patet.

II. Centenas alias tuo silentio mirum in modum sinceritate summa exhibitas esse, ipse confirmas, atque deprædicas. Verum, ut evidentiora la-

xitatis Casuisticæ argumenta haberes, ducentas, & amplius adjicere nunc, præter eas, quas rescripsit Concina, opiniones ex tuis Casuistis decerptas, volui, ut intelligeres verum, quod indicavi, esse, nempe stultitiæ fontem fuisse Concinam, si in tanta laxarum opinionum, quas apponere potuisset, uberrima copia, veras adulterasset doctrinas, ut tu injuria summa eidem exprobras. Denique, ut persuasus sis, fecundissimum, amplissimumque esse laxitatis moralis fundum, si ducentas alias laxiores cupis, continuo me daturum ex solis Societatis Casuistis excerptas spondeo. Nec enim te latet, quas uberes fodinas intactas reliquerim, nempe Alloz, Arckdekin, Bernal, Banholtzer, Bonart, Konig, Illsung, Burgaber, Fagundez, Baldel, Pellizar, Tanner, Kerene, Wagnerech, Vuex, Krimer, Torres, Stoz, Stodf, Schmalzgrueber, Uth, Taberna, Dichastillo, Kuglier, Salaz, Saa, Mazzotta, Sirmond, Rosmer, Raynaudum, Pinthereau, Pirot, Wiestner, Gormaz, Martinon, Baun, Quintanadvennas, Lohner, Mendo, Mlodzianovuski, Mascarenas, plurimosque alios. Cribro itaque aquam colligis, & Ethyopem dealbas, crede mihi, dum a doctrinarum laxitate asserere Casuistas tuos contendis, si illi ipsi Casuistæ tui, ut ex Escobario vidimus, se laxioribus adhærescere opinionibus gloriantur. Quamobrem Divina Providentia factum, destinatumque esse intelligo, ut librum tuum publici juris faceres. Cur? Jacuissent in duodecim Christianæ Theologiæ voluminibus dispersæ, & veluti absconditæ opiniones laxæ. Id boni peperere vindiciæ tuæ, & vitilitigationes, ut luculentius scilicet latiusque refulgeret sinistra opinandi ratio. Opiniones siquidem ab Evangelica simplicitate, Patrumque doctrina alienæ, te cogente, una collectæ, & magnopere auctæ nunc prodeunt, fortiusque lectorum oculos percellunt, eosdem ab istorum Casuistarum lectione abducunt, quo unice spectant Concinæ vota, & ad veritatem, missa contradicente probabilitate, comparandam incendunt, urgentque. Non leve igitur est beneficium, quod liber tuus iis attulit, qui Evangelicæ Moralis intaminatam, sanctamque doctrinam consequi avent.

III. Te expectare ais, mi Noceti, ad opellam tuam *mordaces declamationes, scommata, ultrices satyras*, secus eorum, quæ opposuisti, solutionem? Provinciam hanc exornandam integramque relinquo Magistro Dinellio. Ipse palam faciet, quam prudenti confidentia hæc scripseris, & quam falsa Casuistarum tuorum persuasione tenearis. Interim te ad gravissimum, & summi momenti colloquium, amice, serioque, missis sarcasmis, & declamationibus, peragendum, humillime invito. Propositiones, quas collectas tibi exhibui, sunt veneficæ radices, unde plurimæ aliæ pullulant. Sed quod caput est discutiamus. Primores Casuistæ tui Sanchezius, Tamburinus, Vasquez, Azorius, Castropalaus, Escobarius, atque alii inferioris subsellii, Theologicarum virtutum exercitia, alii ad mortis articulum coercent, alii intra quinquennium, alii intra biennium

per se

per se obligare ajunt. Propositiones rescriptæ perspicuæ sunt. Quisque adire fontes valet, & tu, mi Noceti, hoc ignorare nequis. Nunc, quæso te, serio colloquamur. Caritas Theologica, quæ primo Deum, deinde proximum spectat, basis est, & fundamentum, cui universum Religionis suæ ædificium Christus Jesus superstruxit. Hoc Caritatis fundamento sublato, totum corruit ædificium. Quid heinc necessario proficiscatur, ipse tenes. Laudati Casuistæ ita Caritatis exercitium erga Deum limitant, & extenuant, ut in nihilum fere reducant. Quid de caritate erga proximum docent? Occidendos homines, ajunt laudati Casuistæ, propter unum aureum, propter unum pomum contemptim raptum: acceptandum, immo offerendum duellum calumniatori pervicaci, quoties alia non patet via honorem proprium conservandi: immo proditorie tunc perimi calumniatorem posse adfirmant. Quid de luxuriæ paradoxis dicerem, si indicare illa vellem? Ergo eorumdem doctrina morum, Evangelica non est, Christiana non est. Qua ergo conscientia illorum lectio suadetur? Quid istorum inficiaris? Primum? Præterquam quod propositiones sinceritate summæ excerptæ, quæque conferri cum auctorum libris valent, id evincunt, audias velim Jesuitam, tui Cardinalis Pallavicini testimonio, elapsi sæculi supremum Theologum, morumque sanctitate ornatissimum, P. Michaelem Elizalde, sic fantem: *Nuper percurri Summam Moralem multorum voluminum .... Quæsivi Christum, & NON erat. Quæsivi ... CARITATEM, & Dilectionem Dei, & Proximi, & NON erat. Quæsivi Evangelium, & NON erat. Quæsivi Humilitatem, sine qua salvatur nemo, & NON erat. Et si Paulum, aliumve Apostolum, Sanctumve percurras, contraria omnino INVENIES, & referta cuncta Christo, Caritate, Humilitate, & Sanctitate. Ergo hæ doctrinæ nullum successionis, nullum consanguinitatis, affinitatisve gradum inter se habere videntur .... Evangelium ergo simplex est, & omni duplicitati repugnat: & habet EST EST: NON NON. Modernus contra MORALISMUS duplex est, & bilingui illa probabilitate utitur, & habet EST simul, & NON EST; cum sua regula sit probabilitas contrariarum, & contradictoriarum propositionum. Sicque a simplicitate prorsus distat* (a). Quatuor præ ceteris Casuistas omni respectu humano proculcato de nomine P. Elizalde appellat: nempe *Tamburinum*, *Escobarium*, *Dianam*, *Caramuelem*. Escobarium vividis, atque genuinis coloribus dipingit his verbis: *Escobarius animam, & quasi totam quintam essentiam Probabilismi in lucem extraxit, dicendo EST, & NON EST, LICET, & NON LICET*. Qui hoc candore, & invicto pectore loquitur, non est Paschalis, non Arnaldus, non Nicolius, non Sinnichius, non Henricus a S. Ignatio, sed est sapientissimus, probissimusque Societatis Jesu Theo-

(a) 3. part. lib. 8. q. 7. §. 2. pag. 137.

Theologus. Aliquid hic meditationis Christianæ, mi Noceti. Extranei, & domestici, amici, & inimici, Catholici, & Hæretici, Pontifices, & Episcopi una conveniunt, clamantque Moralem Evangelicam a recensitis Casuistis plurimis relaxatam, adulteratam, deformatamque esse. Neque enim prænominatis produci laxiores queunt. Quid ergo de istorum libris agendum? Audias rursus velim, non Vendrochium, non Arnaldum, non Concinam, sed ipsum Jesuitam Elizalde. *Hæc sit nostra brevissima, & æquissima responsio: cum his scilicet libris id faciendum esse, quod per ipsos, eorumque Auctores cum Sanctis Patribus, Doctoribusque Ecclesiæ factum est... Jacuit Augustinus?.... Tantumdem saltem jaceat DIANA... Si vel Ambrosium, vel CARAMUELEM vivere oporteret, quis non Ambrosium præhabeat? Si populi vel ex Gregorio, vel ex TAMBURINO, & ESCOBARIO regendi sint, quis eos non præferat, quos Doctores vitæ nostræ Ecclesia nobis porrexit?.... Hi ergo cum Evangelio, & doctrina Sanctorum simul vivere, regnareque NON POSSUNT* (*a*). Serio, & alta mente considera Jesuitam, non Jansenistam esse, qui tanto pectore intonat. Quare rident eruditi omnes, dum te audiunt scribere, Concinam expilasse Provinciales Epistolas, Vendrochios, Sinnichios, cum doctius, nec minus intrepide Jesuitæ Elizalda, Camargus, Gonzalezius, Alpharus, aliique cum Dominicanis fœderati in laxiorem Ethicen invecti sint. Sed tempus jam est, ut id, quod altius animum meum scindit, manifeste aperiam. Non minus mihi evidens est Moralem doctrinam Sanchezii, Escobarii, Tamburini, Castropalai, La-croixii, Vivæ, aliorumque similium in plurimis, & præcipuis punctis falsam esse, quam duas propositiones contradictorias non posse esse simul veras, aut simul falsas. Istorum quippe Moralis majori ex parte contradictoriis doctrinis constat. *Est, & non est: sufficit, & non sufficit: licet, & non licet.* Hac evidenti persuasione firmiter præventus, dum te, mi Noceti virum probum doctumque, aliosque commilitones tuos similiter probos doctosque audio istorum Casuistarum doctrinam propugnare, extollere, eamdemque suadere Confessariis pro animarum regimine: dum, inquam, hæc duo apposita matura consideratione meditor, totis artubus contremisco, & undique versum terrore perculsus exclamo: *Terribilis Deus in consiliis super filios hominum: Judicia Dei abyssus multa. Quam terribilia sunt judicia tua Domine!* Et nisi Apostolus Paulus hoc suo oraculo: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit:* (*b*) me confirmaret, animaretque, forte conciderem. Sed hac divina veritate fultus nihil moror, cum vos audio similia fundentes: Viri docti, pii, & probi ita docent. Bene habet. Viri probi doctique fuere Sanchezius, Tamburinus, Esco-

(a) 3. p. l. 8. q. 8. §. 8. pag. 150. (b) Ad Galat. cap. 1. 8.

Escobarius, similesque plurimi. Et tamen caritatis erga Deum, & proximum, a qua tota lex pendet, mandata fere in nihilum redegerunt, damnatas, & damnandas doctrinas plures edocent, & passim defendunt. *Licet, & non licet: est, & non est: sufficit, & non sufficit*. Doctrinæ autem istæ *regnare cum Evangelio* (ut Jesuita Elizalde docet) *non possunt*. Illud etiam in tanta discriminum vicissitudine, & opinionum perversitate me erigit, quod eodem Apostolo teste, sciam tempus futurum esse, in quo sanam doctrinam non sustinebunt: sed magistros venturos fore, non Rigoristas, non Tutioristas, non sævos, qui pœnarum severitate terrorem incutiant; sed Doctores, qui *auribus pruriant*, qui contempta veritate, fabulas repræsentent, & doctrinas mutuo pugnantes doceant, & suadeant. Hæc si, posito partium studio, & gratia Divina suapte natura valida perfusus, meditatus, mi Noceti, fueris, nullus dubito, quin lux veritatis, falsitatis tenebras sit dissipatura. De salutis nostræ negotio res agitur: nostram æternam felicitatem his disputationibus in discrimen adducimus, si negligentes in re tanti momenti fuerimus. Hæc sunt *ultrices Satyræ*, *hæc scommata*, quæ tibi meditanda propono, ut scribere cautius in posterum perdiscas.

IV. Falleris, mi Noceti, dum pag. 284. scribis, mirum non esse, *si in tanta optimarum rerum multitudine, ac varietate, si magnis Magistris ducibus, Jesuitis ETIAM aliquid minus rectum exciderit: quod ceteroquin sapientissimis etiam Sanctissimisque Auctoribus aliquando evenisse compertum est*. Cum Sapientissimis, atque Sanctissimis Doctoribus, tuo præeunte laxioris Ethices patrono *Bail*, comparas recentes Casuistas? *Aliquid minus rectum* vocitas caritatis, fidei, spei præcepta, aut ad articulum mortis restringere, aut ad alia rarissima intervalla? *Aliquid minus rectum* vocas modum illum opinandi, quem Casuistæ tui, repugnantibus Dominicanis, ab integro fere sæculo, tam constanti, & unanimi consensu propugnant, quemque ab Evangelica simplicitate, & Patrum doctrina alienum Alexander VII. declaravit, & ut omnium malorum caput Ecclesia Gallicana improbat? *Tamquam minus rectum* appellas centum, & amplius propositiones proscriptas ab Alexandro VII. & ab Innocentio XI. in Theologia Probabilistica defensas? Nolim tamen intelligas, omnes a Jesuitis Casuistis propugnatas.

V. Lamentaris *p.* 306. quod Concina declaret laxas esse opiniones plures Casuistarum, quin easdem rationibus refellat. *Quamobrem*, inquis, *tota vis impugnationis ad illa duo antiqua verba redigitur: IPSE DIXIT. Quæ quidem ratio impugnandi sententias apud Concinam frequentissima est*. Verum habet, quod frequenter referibat opiniones laxas Casuistarum, adeo communi sensui infestas, ut seipsis horrorem ingerant, concidantque. Numquid hæ opiniones: *An liceat virile membrum in os uxoris immittere? An liceat in conjugis absentia verenda propria libidinose attrectare*? & aliæ plurimæ similes, quas quidem fuso calamo versant, longa refelli disputatione de-

debent? Ceterum si Concina leviter, & in transcursu Casuistarum opiniones refellit, facilius vobis erit easdem defendere. Temetipsum perpetuis antilogiis conficis, mi Nooeti. Nunc ut laxitatem nimium manifestam excuses, truncate rescriptam propositionem asseris. Nunc doles, quod declamationibus nimis exaggerata laxitas sit; & tandem conquereris, quod obiter refutatæ opiniones sint. Si pro dignitate refellere Concina omnes, quas recenset, opinationes laxas voluisset, viginti; & amplius volumina satis minime fuissent. Easdem ille modo brevi, modo prolixa oratione pro laxitatis diversitate profligare studuit. Tu, si quid validius, missis cavillationibus, habeas, in arenam descendito, & pugna pro earumdem immaculata doctrina, si potes: quod tamen numquam præstabis: plurimamque salutem tibi dico.



EPI-

EPISTOLA VII.

AD

P. CAROLUM NOCETIUM

SOC. JESU.

ARGUMENTUM.

Quod ait P. Concina, leges Societatis improbare Probabilismum; falsum evidenter est. P. Nocetius pag. 281.

I. NEgas leges Societatis tuæ Probabilismum diris devovere? Immo, inquis, *hoc falsum evidenter esse*. Legem in apricum traduco, ut universa Respublica Litteraria judicium ferat. Lex, quam solemni ritu professus es, ejusmodi est: *Sequantur in quavis facultate SECURIOREM, & MAGIS APPROBATAM doctrinam, & eos auctores, qui illam docent.* (a) Edissere, mi Noceti. Numquid opinio *minus secura, securior est?* Numquid doctrina *minus approbata, magis approbata est?* Numquid doctrina *minus probabilis, probabilior est?* Quid hiscis? Hæc paradoxa mutuo pugnantia defendenda tibi sunt, ut negare, leges tuas Probabilismum improbare, valeas. In quavis facultate *securiorem*, *& magis approbatam doctrinam* ut amplectaris leges tuæ jubent: et tu doctrinam *minus probabilem*, *minus securam*, *minus tutam* ex instituto propugnas, & pro eadem veluti pro aris, & focis dimicas? Si legem adeo perspicuam, adeo evidentem inflectere distinctiunculis obscurare, commentis eludere non reformidas; quæ lex, quæ jura, quæ præcepta, quæ diplomata a cavillationibus tuis subtilissimis immunia, & salvá consistent? Si *evidenter falsum est*, leges Societatis improbare doctrinam minus securam, minus probatam, minus verisimilem; quid tibi evidenter verum erit? Hinc colligent sapientes omnes, si legem tam luculentam cavillaris, quid mirum, si plura ex Theologia Christiana in litigiosam disputationem adducas? Tibi quadrare apprime videtur, quod scri-

(a) part. 4. Const. cap. 5. n. 4.

bit S. Augustinus: *Verum si Dei legem, non sicut se habet, sed sicut vobis placet, intelligitis; quid mirum, si & de lege Imperatoris hoc facitis?* (a)

II. Non modo *securiorem doctrinam* ut amplectaris tuæ leges jubent, verum etiam *Auctores qui illam docent*. Tu vero, mi Noceti, pag. 303. scribis: *Et sane ego malim esse MEUM Dianam, quam esse meum ... in Theologia morali Natalem ab Alexandro.* Ita ne vero? Numquid legi huic tuæ pares, dum rejecta Theologia Natalis, tuum in Christiana Theologia Magistrum eligis Dianam, qui opinionum laxitate, ut ait Caramuel, *tollit peccata mundi* in hoc sæculo, sed non in futuro? Theologia Moralis, & Dogmatica Natalis ab Alexandro tota constat Scripturis Sanctis, Conciliis, Patribus, & sacris Canonibus. Theologiam Dianæ universam constant pugnantes Probabilistarum opiniones. Dianæ Theologia in morum controversiis perpetuo exhibet *est, & non est: licet, & non licet: sufficit, & non sufficit*, ut suavius his contrariis opinionibus efficiatur jugum Christi, inquit, P. Antoninus Escobarius tuus. Idcirco mavis esse *tuum* Dianam, quam esse tuum Natalem ab Alexandro in Theologia Morali, quia hic detestatur bilinguem illam probabilitatem *est, & non est: licet, & non licet*.

III. Sed abs te quæro. Cur non dixisti: malo esse *meum* Tyrsum Gonzalezium Patrem nostrum, Vitelleschi Patrem nostrum, Michaelem Elizalde, Paulum Comitolum, Andream Blancum, Cardinalem Bellarminum, Cardinalem Pallavicinum, Muniessam, Antoine, Malatram, immo S. Patriarcham Ignatium, qui securiorem doctrinam ut amplectaris, jubet? Respondes *p.* 282.;, Aliam habent famam *sapientiæ*, atque existimationem „ non modo apud nos, sed apud universam Litterariam Rempublicam „ Suarez, Vasquez, Molina, Azorius, Valentia, *Sanchez, Lessius, Castropalaus, Filliucius, Fagundez, Henriquez, Rebellus, Tamburinus, Salas, Laymanus, Cardinalis de Lugo, Conink, Cardenas,* & plurimi similes, qui *Probabilismum non improbant*, quam Comitolus, Elizalde, Camargo, *Tyrsus*, Antoine. "

IV. Contra ego repono unum P. Michaelem Elizalde prævalere sexcentis *Sancheziis, Azoriis, Coninkiis, Castropalais, Tamburinis, Lessiis, Laymanis, Filliuciis*, & plurimis aliis similibus. Evinco. Illi splendidiore sapientiæ fama refulgent, qui Dei doctrinam ab erroribus immunem docent. Habes ne, quod adversus hanc primam propositionem reponas? Absit. Ad secundam. In operibus Sanchezii, Tamburini, Castropalai, Filliucii, Lessii, Azozii, Fagundezii, Henriquezii Moralis Evangelica, pluribus opinionibus partim damnatis, partim, nisi mea me fallat opinio, damnandis,

(a) Lib. 31. cont. Jul. cap. 4.

dis, plus & minus scatet. Contra Evangelica doctrina in operibus Comitoli, Elizalde, Gonzalezii, Camargi, Antoine ab omni opinione damnata, vel damnanda intaminata est. Hæc quoque secunda opinio luculenta est, teque provoco, ut aliquid damnationis in his operibus designes. Ergo isti Antiprobabilistæ apud universam Rempublicam Litterariam tum cœlestem, tum terrestrem, sapientiæ laude splendidius refulgent præ recensitis a te, & similibus Probabilistis. Quid ad hæc, mi Noceti? Sed cur scripsisti de tuis Probabilistis: qui *Probabilismum non improbant?* Cur non dixisti: qui omnium virium conatu Probabilismum defendunt, etiam in re sacramentaria, etiam in administranda justitia, ut Sanchezius, & Lessius, qui sunt primores Doctores? Communiter nostra hac ætate Jesuitæ fere omnes Probabilismum docent, propugnant, ut La-croixius, Zaccaria, Sanvitale, & alii testantur. Contra, dum in certamen descenditis, trepidi, & tremuli vix audetis elata fronte vexillum pro Probabilismo explicare. Primo loco recenses in favorem Probabilismi Doctorem eximium P. Suarezium. Huic ego oppono Cardinalem Bellarminum. Reponis ne, Bellarminum ex instituto non confutasse Probabilismum? Ajo ego, neque P. Suarez data opera controversiam Probabilismi expendisse. Sed in pluribus opinionibus eidem hæsisse tu contendis. Contra P. Camargo oppositum asserit. Quem autem horum pluribus facis, sive doctrinæ puritatem, sive morum sanctitatem spectes, Suarezium, an Bellarminum? Sententiam dicito. Hæres ad aquas? Antepones ne Suarezium Bellarmino, qui semper in rebus controversis probabiliorem, & securiorem amplectitur sententiam, & ut id alii præstent, inculcat? Duos Præpositos Generales Vitelleschium, & Gonzalezium, Comitolum, Elizaldam, Camargum, Alpharum postponis Tamburino, Castropalao, Filliucio, Laymano, Coninkio, & his similibus? Isti Casuistæ Probabilistæ majori potiuntur sapientiæ fama apud Rempublicam Litterariam præ illis? Næ tu amplam ridendi segetem eruditis præbes, qui hæc in libro tuo legunt!

V. Non minus festiva sunt, quæ ibidem pag. 283. continuo subdis: *Atque ut aliquid etiam de ipsis Dominicanis attingam. Quo argumento probatur Baronios, Contensonios, Natales, Gonetos, Concinas, & similes Antiprobabilistas SAPIENTIORES esse celeberrimis illis antiquioribus Dominicanis, qui Probabilismum per integrum sæculum tutati sunt?*

VI. Quo argumento id probabitur? Argumentis id evincam, quæ ad perpetuum silentium te redigent. Perge porro. Mercorus, Baronius, Contensonius, Martinezius, Gonetus, universo Prædicatorum Ordine in Comitiis Generalibus congregato imperante, & Pontifice Summo Alexandro VII. hortante bellum Probabilismo intentarunt, atque eumdem omni argumentorum genere exagitarunt, profligarunt, & ab universo Ordine exterminarunt. Edissere. Quinam sapientiores? Octo, aut decem privati scri-

ptores, qui opinionem excogitarunt antiquis incognitam: qui neglecta Angelici Doctoris S. Thomæ doctrina, proprio indulserunt cerebro: an Theologi illi, qui S. Thoma, & antiquioribus Dominicanis Magistris præeuntibus, qui Summi Pontificis mandatis parentes, Probabilismum improbarunt? Quid responsi præbes? An non sapientiores illi, qui doctrinam Sancto Thomæ, Summisque Pontificibus, & universo Prædicatorum Ordidini probatam defendunt, quam ceteri pauci, qui privata commenta evulgarunt? Probabilistæ sive Jesuitæ, sive Dominicani plures proscriptas opiniones ediderunt, & alias laxas, ut mihi videtur, proscribendas. Contra Dominicani Antiprobabilistæ nullam vi systematis propugnarunt in morum doctrina sententiam proscriptam. Quinam ergo sapientiores? Qui doctrinam sanam Evangelio conformiorem defendunt: an qui laxiorem Ethicem, & systema ab Evangelica simplicitate, Patrumque doctrina alienum defendunt? His argumentis ut respondeas, te provoco, atque pressius te urgeo. Quid Baronios, quid Contensonios, quid Gonetos comminisceris? Omnes, arrige aures, omnes, inquam, communiter Theologi Dominicani ab integro fere sæculo Probabilismum ejurarunt. Quid itaque quinque dumtaxat Dominicanorum manipulum obtrudis, ut imperitis fucum facias, si integer Ordo, si omnes Theologi Dominicani Antiprobabilismum propugnant, sibique gloriæ vertunt, turmatim in Probabilismum, ceu Evangelicæ doctrinæ adversum, ut Alexander VII. & universa Ecclesia Gallicana declararunt, irruere? Hæc sunt argumenta, quæ evincunt sapientiores esse Dominicanos, qui ab anno 1656. unaninimi consensu Ordinis universi Decreto, & Pontificis consiliis Probabilismum improbarunt, præ illis decem circiter Theologis, qui Probabilismum a Medina excogitatum evulgarunt. Aliqua illi venia digni sunt, quod absurda, & immania consectaria, quæ ex Probabilistico systemate temporis cursu manarunt, minime perspecta habuere. At illi, qui post tot opiniones laxas, quas plurimi Probabilistæ, aut antiquatas rursus innovarunt, aut novas excogitarunt, quasque S. Romana Sedes proscripsit, Probabilismum defendunt, infeliciores apparent. Ut ut tamen res hæc sese habeat, illud est certum, illud ineluctabile, auctoritatis longe gravioris esse universi Dominicani Ordinis Diploma, quo ab universa Religione Probabilismus exterminatus est: & omnes ejusdem Ordinis Theologos, qui Probabilismo perpetuum bellum intentant: quam fuerit olim patrocinium decem circiter Dominicanorum, qui Probabilismum, nondum causa bene expensa, defenderunt. Ut respondere solide queas; quis penes te prævaleat; num universi Ordinis Prædicatorum Decretum contra Probabilismum, & omnium ejusdem Ordinis Theologorum auctoritas, & Summi Pontificis Alexandri VII. consilium; an vero decem scriptorum patrocinium, serio tibi recogitandum est.

VII. Aliud, quod proposui argumentum, tuum spectat in Morali Evange-

gelica *indifferentismum*, mi Noceti. Propositiones, quas Concina rescripsit ex tuis Casuistis, propugnare ipse non audes. Docet P. Gobat posse aliquot horas procum, & puellam *indutos*, & *exutos* eodem in lecto cubare, præsertim inter plebeios. Tu resumis: *Ut ut se habeant Germanorum mores: opinionem Gobati, ut ab ipso proponitur, ego non defendo*. Ut ut se habeant Germanorum mores? Quod ergo juvenes Germani *exuti*, & *induti* in *eodem lecto cubent* cum suis puellis amasiunculis, suspensus animi hæres liceat ne, an secus? Opinionem hanc non defendis? Hoc unum defuisset, quod illam propugnares. Crimen est, ut mea fert opinio, illa non detestari. Crimen est eam inter Germanorum mores constituere, atque intactam relinquere. Eam, Probabilista cum sis, non improbas. Probabilis ergo, vi systematis, remanet. *Ut ut se habeant Germanorum mores?* Numquid Germani a peccati originalis labe immunes? Numquid Germanorum concupiscentia extincta jacet? Fateris opinionem Gobati, etiam ut ab ipso proponitur, adeo laxam esse, ut propugnare illam minime audeas. Et Concinam imposturæ arguis, quod eamdem inter laxas reposuerit? Verum hoc dicis gratia. Illud nunc improbo, quod speciem *indifferentismi* in Morali Evangelica præferre videaris. Non defendis laxas Gobati, de Lugo, & aliorum opiniones. Suspensam ergo animi sententiam tenes? At adversus hanc indifferentiam Christus clamat: *Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit* (*a*). Aut veritas ergo asserenda, aut laxitas, seu falsitas. Nihil isthic medii. Alterutri dominorum servias necessum est: inquit Christus Jesus: *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet* (*b*). Nullum hic ad effugium aditus. Aut veritati servire, aut laxitati debes. Christianæ professioni minime sat est, quod tu asseris. *Non defendo opinionem Gobati, de Lugo &c.* Easdem exerte improbes oportet, ut Christo Jesu adhærescas. Suspensum itaque exue animum, & cum Concina refelle opiniones illas, quas propugnare erubescis. Si oppugnare easdem renuis, illas defendito. Alterutrum enim tibi præstandum est. Neutrum animum Christus, ut vidisti, detestatur. Elige ergo quam malis partem. Vale.

EPI-

(a) Matth. 12. (b) Matth. 6.

EPISTOLA VIII.

AD

P. CAROLUM NOCETIUM

SOC. JESU.

ARGUMENTUM.

Carpit hic P. Concina more suo LA-CROIX, illumque vocat opinionum contrariarum collectorem, qui lectoribus libertatem eligendi, quam placuerit, passim relinquat. Ait hanc esse methodum, quam in universa sua Theologia servat DOCTOR iste. Ait hanc methodum Casuistici Pyrrhonismi speciem redolere. Ait hanc esse justam criticen in opera La-croixii. P. Carolus Nocetius pag. 271.

I. Epistola hæc, Noceti Pater, locum præloquii tenet ad Documentum, quod donandum tibi existimavi, ut criticen, quam P. Concina in Opera P. La-croixii pronunciavit, luculentius, atque validius confirmem. Collectorem contrariarum opinionum La-croixium Concina appellavit. Hanc tu critices rationem improbas. Quo argumento? Concedis illum, *aliquando productis hinc inde Auctoribus, eorumque argumentis judicium suum sustinere*. Aliquando? Passim hoc præstat, ut cuique ejusdem opera legenti compertum sit. Et quamvis interdum hanc præ illa sententiam adoptet, rationibusque muniat, quid inde? Admisso Probabilistico systemate, quod suo operi præmisit ille, omnes, quas recenset opiniones, probabiles evadunt. Hunc Patris Busembaum Commentatorem, ut majoris sit apud Sacramenti Pœnitentiæ Ministros auctoritatis, DOCTOREM appellas rei Casuisticæ, atque in *omni Theologiæ Moralis parte doctissimum, & versatissimum p.*272. Sit, per me licet, Doctor Doctissimus, & Theologus versatissimus, ut tu ais, iste Medulæ P. Busembaum interpres. Absit enim, ut dotes splendididissimas P. La-croixii obscurare ego velim. Illius personam, sicut & omnium Casuistarum merita, non secus ac Concina, suspicio. In eorumdem opera dumtaxat Concina inquisivit, & quod imbecillitati suæ oppositum in eisdem cum Evangelio apparuit, pro viribus refellere conatus est.

II. Ut vicem rependas, criticen in *Theologiam Christianam* exerces. Ais,

Ais, illam esse meram collectionem opinionum omnium rigidiorum, *solido ratiocinio vacuam*. Cur ergo vos Concinæ adversarii ad ejusdem librorum aspectum tam vehementer saltitatis, & in omne latus vosmetipsos rotatis? Non erat sane, cur universa Societas in Comitiis Generalibus congregata nullum non moveret lapidem, ut ipsius *Theologiæ Christianæ* ruinam moliretur, eamque tantæ Societatis cura, & studio dignam reputaret, si rationum illam vacuam existimasset. Se ipsa enim corruisset, si rationum caruisset fundamentis. Addis ibidem p. 272. in illa esse *recoctum quidquid Litteræ Provinciales, Theologia Moralis Jesuitarum, Henricus a S. Ignatio, Sinnichius, aliique notissimi Societatis osores jam collegerunt*. Non aliud ergo obtrudere Casuisticæ laxitatis oppugnatoribus scitis, quam Epistolas Provinciales? Tam alte insculptæ animis vestris Epistolæ istæ sunt, ut in omni eventu easdem adversariis vestris objiciatis? Quid ad nos Epistolæ istæ? An oculis & mente ad legendos, & intelligendos Casuistas vestros nos caremus? Cur Sinnichium Societatem osorem appellas? Quid adversus Societatem molitus est? Nihil sane, quod ego sciam. At oppugnavit nonnullas Tamburini laxas sententias. Osores ergo Societatis sunt, quot quot in laxiorem doctrinam calamum acuunt. Et hæc cantilena ab integro fere sæculo canitur. Non advertis, mi Noceti, te, tuosque non paucos Socios hac vestra scribendi ratione extremam Inclytæ Societati vestræ conflare invidiam? Heinc quippe argumentatur Respublica Litteraria: Hostes insignis Societatis Jesu sunt illi omnes, qui laxiorem Ethicen refellunt. Ergo, si verum hoc est, laxiori doctrinæ Societas Jesu patrocinium impendit. Consectarium istud necessario ex antecedenti a te scripto manat. Alterutrum ergo: aut primum perneges, aut secundum excipias necessum est. Rogo te, mi Noceti, ut reserare mihi arcanum istud ne dedignere. Quid est, quod Probabilismi oppugnatoribus semper, & iterum semper has Epistolas Provinciales, & Auctores Jansenismi suspectos obtrudatis? Aut veram defendunt doctrinam adversarii vestri, aut falsam. Si veram, ideo ne falsa evadet, quia illam defendunt Jansenistæ, Lutherani, Calviniani? Si falsam, cur falsitatis illos non revincitis, missa criminatione? Cur ad hoc vos semper recipitis asylum? Quid in hoc continuo perfugio arcani est? Ut quidquam semper in promptu vobis sit, quod Casuisticæ laxitatis osoribus opponere pro temporum opportunitate valeatis? Qui ergo propugnare Evangelicam morum doctrinam velint, declinare hanc teterrimam Jansenismi notam non poterunt? Nihil vos moramini Decretum Innocentii XII. quo cavetur, ne quisquam Jansenismi accusetur, nisi aliquam ex quinque damnatis propositionibus docere illum constiterit? Verum quia, omni lege neglecta, hanc recoquere crambem vobis placet, palam ego universæ Reipublicæ Litterariæ facio, hoc esse peremptorium afflictæ, & desperatæ causæ argu-

gu-

gumentum. Si enim id in manibus vobis esset, quo revinci falsitatis adversarii vestri a vobis possent, profecto ad hunc communem locum minime confugeretis. Hoc frequentius, & fusius, quam par esset, tibi impropero, ut tu, tuique plures ab hac futili, & inepta Epistolarum provincialium, & Jansenismi criminatione tandem aliquando, si fieri potest, desistatis. Quod si in deliciis habes, has Epistolas, Auctoresque Jansenismi suspectos objicere, scias oportet, viros eruditos hanc vestram familiarem accusationem risu, & cachinnis excipere. Subdis ibidem, Doctoris Lacroixii viri doctissimi summan peritiam in causa esse, cur ejusdem opera sint *facilis distractionis*, *quæ tam acriter urit P. Concinam*. Non Concinam modo, verum etiam omnes, qui salutis æternæ animarum zelo flagrant, angit, torquet, uritque hoc unum, aliorumque tuorum studium, & industria, qua morales Probabilistarum libros contrariarum opinionum *est*, *& non est: licet*, *& non licet: sufficit*, *& non sufficit* plenissimos, propagare totis viribus conamini; contra vero sanioris doctrinæ Auctores apud imperitorum amplissimam multitudinem, ut *Jansenistas*, aut *Jansenismi*, *Bajanismi*, *Rigorismi*, *Tutiorismi* lue infectos traducitis. Desperaret Concina, desperarem & ego de æterna salute, si opera Sanchezii, La-croixii, Vivæ, Tamburini, Gobati, Escobarii, Dianæ, & similium legenda suaderem Sacramenti Pœnitentiæ Administris. Quoniam evidenti persuasione convictus ego sum inter vastissimam illam tricarum, distinctionum, subdistinctionum, & opinionum mutuo pugnantium congeriem, simplicem Dei legem, quæ lex veritatis est, minime refulgere. Tu contra sentis. Quid inde? Hostes ne propterea erimus? Absit. Judex æternus sedebit, judicabitque, num tu, tuique plures jure ne Concinam impostorem, calumniatorem, Rigoristam, malignumque infamatorem traducatis, propterea quod a vestro novo opinandi modo dissentiat.

III. Antequam vero tremendissimum judicium istud proferatur, novum tibi adferre magnæ auctoritatis documentum volo, quo critices, quam in opera P. La-croixii Concina tulit, magnopere confirmetur. Unde venit, & cujus est documentum istud, quod Concinæ criticen in Lacroixium probat, confirmatque? Venit non a Gallia, non a Portu Regio, non a Flandria, sed a Germania, immo a Bavaria. Auctor est non Dominicanus, sed Canonicus Lateranensis, perdoctus nempe, eruditusque Theologus *P. Eusebius AMORT*, universæ Reipublicæ Litterariæ notus ob præclara, & varii generis opera in lucem edita. Is in primo suo Theologiæ Scholasticæ Tomo in La-croixii Moralem Theologiam prudentem, solidamque criticem præmittit. Animadvertit hanc La-croixianam Theologiam appellari *Historiam opinionum probabilium*. Et merito quidem. Nam vix una occurrit pagina, in qua non occurrant Probabilistæ Auctores mutuo pugnantes: & istorum contrariæ opiniones, ut probabiles con-

conſcientiarum regulæ proponuntur, aut ut opiniones adoptatæ ab Auctoribus Probabiliſtis, quos ipſe graves appellat, atque adeo aptos, ut ab auctoritate opinionem probabilem conſtituant. Nec refert, ut alias dixi, & repetere juvat, Patrem La-croixium aliquando aſſerere hanc opinionem ſibi videri probabiliorem, illam minus probabilem, hanc improbabilem. Hæ limitationes, & clauſulæ, inquit P. *Euſebius Amort*, fruſtraneæ ſunt. Siquidem ex principiis generalibus Probabiliſmi P. La-croixius conſtituit opinionem quamlibet theologice probabilem, tutam eſſe conſcientiæ regulam. Eſt vero opinio probabilis, quam graves Doctores Caſuiſtici confirmant. Unde infert *P. Amort* Probabiliſmum fontem eſſe laxarum opinionum, immo, ut univerſus Clerus Gallicanus declaravit, omnium malorum caput. Concludit vero, laxitatibus, & corruptelis, quæ in mundo dire graſſantur, *nullum poſſe littus poni*, niſi fons exſiccetur, niſi Probabiliſmi planta penitus eradicetur. Nam & omnia, quæ ex *La-croixio* collegit P. Amort, ex qualibet Theologia Morali Probabiliſtica congeri præter propter valent. Quid enim aliud ſcribit La-croixius, niſi quod ſcripſere Sanchez, Reginaldus, Filliucius, Vaſquez, Azorius, Eſcobarius, Fagundez, Illſung, Caſtropalaus, Baunius, Moya, Martinonus, & ceteri ſimiles, qui cum ſint juxta ipſum Auctores Claſſici, probabilitatem concipiunt, & pariunt?

IV. Nec eſt, Noceti Pater, quod conqueraris, me invidiam creare P. La-croixio, dum quæ publicis typis *P. Amort* edidit, iſthuc ego tranſcribo. Siquidem tu me vel repugnantem ad id coegiſti. Nonne in hac tua opella ad ravim uſque repetis, Paſchalem, Vendrochium, Sinnichium, Henricum a S. Ignatio illos eſſe, qui laxarum opinionum cenſum ex Jeſuitis Caſuiſtis texuerunt, illoſque imitatum Concinam eſſe. Quamvis commentum iſtud chimæricum alias labefactatum ſit, præſertim, quod poſt mortuos Paſchales, Vendrochios & Sinnichios, La-croixius, Viva, & alii ſua probabiliſtica opera ediderint; nihilo ſecius, ut confirmem quæ Concina ſcripſit, operæ pretium exiſtimavi proferre, quæ publici juris fecit, non Gallus, non quiſpiam factionis Janſenianæ, ſuſpectus, ſed ingenuus Germanus, erudituſque Theologus *P. Euſebius Amort*. Hinc colliges, Concinam, non odio, non invidia, non animo maligno in Jeſuitas, ſed ſtudio conſulendi animarum ſaluti ſatagere, ut omnes Theologiam Probabiliſticam, & quæ inde manant exitioſa conſectaria deteſtentur. Hujuſce ſuæ intimæ intentionis, non tu, mi Noceti, non Probabiliſtæ omnes, ſed ſolus Deus judex eſt, qui ſevero, tremendoque judicio definiet quo tempore, qua ratione, quove fundamento vos eumdem ut malignum, impoſtorem, calumniatorem, & Societatis Jeſu infamatorem traduxiſtis. Sed tempus jam eſt, ut Catalogum opinionum probabilium, quas ex La-croixio collegit *P. Euſebius Amort*, tibi perhibeam. Vale in annos plurimos.

V. R. P.

R. P. EUSEBII AMORT

Theolog. Schol. Tom. I. a pag. 165. ad pag. 183.

CATALOGUS


Opinionum probabilium circa generalia morum principia ex P. La Croix Lib. 1. & 2.

PRÆFATIO.

AD quantas laxitates Probabilismus viam sternat, nullo alio argumento luculentius demonstrari potest quam si ex Probabilistarum libris excerpantur omnes opiniones probabiles, & ex his opinionibus in unum collectis conficiatur integra Theologia Moralis probabilistica. Id primo præstitit *Philalethes Candidus in tract. de opinionum praxi*, sub cujus ficto nomine *Philalethis Candidi* latere insignem virum, P. Andream Blanc, Soc. Jesu, Januensem scribunt P. Petschacher, Professor Theologiæ in Universitate Salisburgensi, ... in Tract. *de actibus Human.* & ipsemet P. Christophorus Rassler Soc. Jesu in sua *Norma Recti*. Non multo absimilem opinionum probabilium catalogum conscripserat Gonetus in *tr. de actibus humanis* ex solis P. Tamburini sententiis. Aliam collectionem opinionum probabilium Alexandro VIII. transmiserat Clerus Gallicanus, prius Conventui Gallicano præsentatam anno 1655. & 1656. & teste Fagnano in cap. *Ne innitaris, nu.* 289. & 337. Archiepiscopus Mechlinensis 1654. & Episcopus Gandavensis 1657. P. Henricus a S. Ignatio Carmelita in sua *Ethica Amoris*, seu Theologia Morali *Tomo I. in Prolegom. cap.* 2. scribit, etiam a se paratum haberi integrum talium opinionum probabilium catalogum ex omni totius Theologiæ Moralis materia. *Paratum*, inquit, *erat schema plus quam mille ducentarum ejusmodi opinionum; sed ne præsens caput inde nimium excresceret, visum est earum præcipuas dumtaxat exhibere; reliquas vero in operis decursu*. Exhibet dein in hoc *capit.* 2. centum septuaginta duas ejusmodi opiniones Probabilistarum, concernentes generalia morum principia. Verum missis his omnibus, & aliis v. g. ab *Aletophilo*, editis catalogis, de quorum sinceritate aut accuratione in citando forte moveri posset in uno & altero textu dubium, novum ex P. *La Croix* excerpsi specimen ex ejus *Theologiæ Moralis Libro primo, & secundo* circa generalia morum principia. Id suffecerit pro scopo præsenti ad ostendendum, ad quantas laxitates viam latissimam Probabilismus aperiat. Patebit enim ex hoc solo catalogo tandem licitum fore sequi ferme omnes eas sen-

tentias

tentias quas hic Auctor in sua Theologia Morali, seu, ut quidam vocat, *Historia opinionum probabilium*, recenset tamquam *probabiles*, aut certe tamquam opiniones *adoptatas ab auctoribus*, quos ipse in aliis locis allegat tamquam auctores graves, idoneos ad formandum prudens judicium. Verum quidem est quod P. La Croix ad ejusmodi, quas recenset, sententias interdum addat, oppositam sententiam esse *probabiliorem*; aut talem quam recenset opinionem, *sibi non videri probabilem*, vel eam, *alteri cuidam auctori non videri probabilem*; sed quid prosunt in praxi ad præcidendas innumeras laxitates ejusmodi clausulæ, annotationes, ac limitationes, cum in principiis generalibus reipsa jam indulta fuerit licentia sequendi sententias etiam *dubie probabiles*, aut etiam *tenuiter probabiles*, dummodo vere theologice probabiles sint; aut sententias etiam *unius gravis auctoris*, dummodo rationes ab aliis auctoribus non sint ita enervatæ, ut nulla amplius remaneat probabilitas, ne quidem *tenuis* aut *saltem dubia*? Hæc qui indifferenti animo attente ponderaverit, profecto advertet, laxitatibus & corruptelis in mundo nullum *posse littus poni*, nisi dicatur, quemvis pro suo captu obligari ad considerandam opinionum veritatem aut falsitatem; & si quæ opinio alicui consideratis omnibus, visa fuerit notabiliter minus probabilis, sibi eam fore illicitam, nisi in legis humanæ materia pro casu particularis necessitatis, aliud merito prudenter per epikiam præsumpserit de Legislatoris intentione, & indulgentia.



CATALOGUS

Opinionum probabilium circa generalia morum principia ex P. La Croix.

Ex Lib. 1. tract. 1.

DE CONSCIENTIA

SI ponamus quod cognitio abstrahat a malitia mortali & veniali, & tantum in genere dictet esse peccatum, Azor, Sairus, Reginaldus, Bonacina, Tannerus, aliique dicunt, semper fore mortale. Quod si cognosceret malitiam in certa specie, sed non cognosceret, an venialis esset, an mortalis, Vasquez, Meratius, Sanchez dicunt, fore mortale, aut veniale, prout fuerit objectum. Unde si cum tali cognitione, v. g. furetur rem levem, erit veniale, si furetur rem gravem, erit mortale. *Hæ duæ sententiæ sunt probabiles*. Videtur tamen *probabilius*, quod docent Nav. Val. Sal. Gran. aliique cum Oviedo, Gobat, Burghaber, Sanch. Dicast. Diana; nempe in utroque casu venialiter tantum peccari: quia neque cognoscitur periculum peccati mortalis, neque obligatio magis inquirendi, neque indifferentia, quam objectum habet ad malitiam mortalem, & venialem, neque absolute cognoscitur malitia mortalis. Ergo sic operans non est positive indifferens ad malitiam utramque. *Si* (vero) operans nollet attendere, an malitia esset mortalis, aut venialis, ideoque operaretur quasi bona fide cum metu peccati in genere, &, ne sibi faceret scrupulos, aut ne forte opus esset abstinere ab objecto proposito, nollet, examinare, vel de hoc audire, sic operans procederet mala fide, per *se loquendo*, peccaretque mortaliter. Ita La Croix *Tr. 1. c. 1. n. 3. & 4.*

2. Quæritur, an peccet formaliter qui invincibiliter putat, actum internum non esse malum, & tamen cognoscit, objectum talis actus esse malum, v. g. qui desiderat fornicari, invincibiliter putans, hoc desiderium internum non esse malum, quamvis sciat, quod reipsa fornicari sit malum? Oviedo, aliique dicunt, peccare mortaliter, si actu efficaci in objectum tale tendat. Econtra Granadus, Sanchez, aliique plures probabilius dicunt, non peccare formaliter, sed materialiter tantum. Loquor ex supposito, quo daretur talis casus. Nam forte est impossibilis. Ita La Croix. *Ibidem num.* 34.

DE CONSCIENTIA DUBIA.

1. AD honeste operandum debet dictamen ultimum, & practicum esse saltem moraliter certum. Ita Doctores omnes communiter. Est autem partim contra Elizaldum, Gonzalez, Auctorem synopsis (Gonzalezianæ,) Camargum, qui dicunt, sufficere judicium practicum prudens; partim contra aliquos recentiores, qui expresse docent, ad honeste operandum sufficere quod dictamen ultimum etiam practicum sit tantum probabile, vel saltem probabilius. Taberna dicit, sufficere probabile, dummodo judicetur absolute verum. Quid Esparza sentiat, non satis liquet, nam in Appendice art. 197. dicit, non requiri ut dictamen ultimum & reflexum habeat certitudinem; postea art. 200. dicit, ultimum dictamen, qua reflexivum, habere perfectam certitudinem. *n.* 47.

2. Dubium non est mera apprehensio utriusque partis oppositæ; neque est mera inquisitio veritatis. Itaque superaddit aliquam dispositionem animi, qua ita ferimur in rem propositam, ut saltem virtualiter reputemus esse

esse incertam. *nu.* 69. Dubium aliud est speculativum, aliud practicum. Proprie practicum est, quando in particulari dubitatur, v. g. an hic & nunc die festo possim talem laborem exercere. *nu.* 76. Ut quis dicatur agere cum dubio practico, sive cum conscentia dubia, *Salas* requirit judicium aliquod reflexum, quo cognoscat, se habere illam ipsam suspensionem intellectus. Econtra Vasquez, Cardenas, & Schildere negant hoc requiri. Quamvis enim absit, adhuc operatur contram conscientiam, hoc ipso quod operetur non habens dictamen practicum de honestate operationis. Utraque sententia *forte* conciliabitur dicendo, quamvis determinate non requiratur *judicium*, tamen, ut peccetur, operando conscientia dubia, requiri saltem exercitam cognitionem malitiæ operationis cum tali dubio factæ. *n.* 77.

3. Si id quod videtur minus malum, sit intrinsece malum, alterum autem non; v. g. si quis putet se debere vel venialiter mentiri, vel mortaliter peccare, omittendo sacrum; *Schildere* tenet, debere eligere quod videtur minus: quia omittendo Missam contraheret malitiam quæ secundum opinionem ejus mortalis esset. Oppositum tenent *Granadus*, & *Diana*: quia malitia contra jus naturæ merito formidolosior est, cum sit indispensabilis. *n.* 85.

4. Si perplexus sciat, v. g. mentiri esse veniale, & dubitaret, an hic & nunc eleemosynam negare indigenti esset mortale, & tamen deberet alterutrum eligere; *Schildere*, dicit, aliquando fieri posse ut debeat eligere peccatum certum, quod est minus, & abstinere a dubio quod est majus; ideoque hanc dat regulam, quod amplecti debeat eam partem in qua, spectato excessu malitiæ ex una parte, & excessu certitudinis ex altera, apparet malitia minus esse imputabilis. *n.* 86.

5. Elizalde dicit, probabile esse, quod plerumque contingit; ad quod putat sufficere quod pluries cum vero quam cum falso connectatur: alioquin, inquit, si ex centenis, sexaginta sint suspendendi, quadraginta liberandi, probabile esset, Petrum ex illis cententis unum, esse liberandum. Contra est: nam ad probabile non requiri ut plerumque contingat, patebit ex dicendis num. 105. & ideo Terillus admittit, posse esse probabile, aut saltem probabili proximum, quod iste Petrus sit liberandus. *n.* 104.

6. Elizalde requirit ad opinionem probabilem, ut objectum sit contingens. Hanc doctrinam recte rejicit Terillus. Nam dicuntur multa probabiliter circa Deum, qui est objectum necessarium: & probabile est, prædestinationem ad gloriam fieri ante prævisa merita, & tamen vel numquam, vel semper ita contingit. *n.* 105.

7. Caramuel dicit, opinionem probabilem esse quæ habet rationem pro, & contra se. Gonet dicit, opinionem probabilem esse assensum, qui nititur motivo fallibili sive incerto. Contra est: ergo omnis hæresis, & quivis assensus imprudens erit opinio probabilis. Opinio (proin) probabilis est judicium incertum nitens motivo absolute & respective gravi. Ita Laym. Sanch. Esp. Fabr. Teril. aliique communissime. *n.* 106. 107. 108.

8. Aliqui vocant sententiam speculative probabilem quæ objectum tantum considerat non referendo ad praxin; uti si dicam: valet baptismus in aqua rosacea. Quæ autem dicit, licere saltem in necessitate baptizare in aqua rosacea, est practice probabilis. Alii vocant speculative tantum probabilem quæ licite regidi non potest ad praxin. Sic potest mihi esse speculative probabile, quod animal a longe se mo-

ve[ns]

vens sit fera; non ideo tamen practice probabile, quia mihi licitum non est in illud jaculari. Alii dicunt illam speculative probabilem quæ absolute per nos reduci non potest ad praxin, uti hæc: Globus terræ potest loco moveri. Si autem simul ad praxin reduci possit, dicetur simul nobis practice probabilis. Alii cum Moya eam vocant tantum speculative probabilem quæ asserit, aliquid licere, præscindendo a circumstantiis personæ, loci, temporis &c. uti si dicam, Licitum est pingere; practice probabilem vocant quæ dicit, aliquid alicui hic & nunc licere; v. g. quia servile non est, hinc mihi licitum est, hoc etiam festo die pingere. Alii dicunt illam tantum esse speculative probabilem quæ est de objecto secundum se licito; quia tamen non potest ad praxin deduci, quin accedat aliqua circumstantia illicita, hinc non erit practice probabilis, uti secundum Terillum, si dicam: Licitum est secundum se attingere corpus alienum nudum; id enim licite faciunt chirurgi, ut in necessitate medeantur; quia tamen ordinarie non fit ejusmodi tactus, quin in tangente suboriantur pravæ commotiones, & adsit periculum consensus in delectationem veneream: hinc ordinarie non est practice probabile, quod licitum sit attingere corpus alienum nudum. Denique recentiores, ut has omnes explicationes concilient, dicunt, illam esse speculative tantum probabilem, quæ vel de praxi nihil enuntiat, vel tantum procedit habita ratione principii universalis, non consideratis illis quæ cum praxi communiter conjunguntur. Econtra dicunt, illam esse etiam practice probabilem quæ enuntiat, licitam esse praxim post omnia considerata quæ in praxi apta sunt contingere. Et cum his communiter loquemur. *n.* 115.

9. Quæritur, an omnis opinio speculative probabilis, etiam sit practice talis? Respondeo negative cum Cardenas contra Caramuel, Joan. Sanchez, F. Lugo, & alios. *n.* 117.

10. Certum videtur, dari posse opiniones tantum probabiliter probabiles, uti evincit Terillus contra Elizalde. *n.* 125.

11. Opiniones tenuiter probabiles habent motivum, sed ita leve, ut censeatur imprudens, qui illi assentitur. Ideoque recte notat Cardenas, duos illos terminos, *tenuis probabilitas*, esse veluti oppositos. Nam *Tò probabilitas* simpliciter & absolute dicit habere grave fundamentum; *Tò tenuis* autem hoc tollit, sicuti quando dico aliquem esse tenuiter prudentem, significo, non esse absolute prudentem, seu habere paucum prudentiæ, seu defectum illius. Possunt enim ejusmodi termini sumi æquivoce pro re vera, & apparente. *n.* 126.

12. Idem intellectus potest eodem tempore simul de duobus opinionibus contradictoriis, quæ vel simul in diversis intellectibus, vel successive in eodem intellectu existere possunt, reflexe judicare, quod sint probabiles; ita ut hæ duæ opiniones contradictoriæ sint duo objecta de quorum singulis non tantum simul affirmet probabilitatem, sed etiam vere affirmet probabilitatem esse simul, quamvis neutram opinionem directam eliciat, vel actu habeat. V. g. potest intellectus meus unico actu dicere: Hæ duæ opiniones, pingere est servile, pingere non est servile, sunt stricte probabiles, & una non elidit probabilitatem alterius. Est communissima cum Terillo contra Elizalde, Gonzalez, Palavicinum, Camargo, & paucos alios. *n* 239.

13. Infertur (ex conclusione nostra, quod licitum sit sequi opinionem probabilem relicta probabiliore.)

re.) 1. Licitum esse operari secundum probabilem, licet evidens sit, oppositam esse probabiliorem; uti habet communis cum Illsung, contra Gonzalez, Esparzam, Terillum. 2. Licitum esse cuivis consulere plures homines, qui habeantur communiter probi & docti, inquirendo, an forte inventurus sit aliquem, se probabiliter excusantem, v. g. ab obligatione restitutionis: si enim huic proposuerit rationes oppositas aliorum, & hic eas mature consideravit, ac censeat, non esse convincentes, nec elidere certam probabilitatem sue sententiæ, consulens tuto sequetur hunc, uti docent Sanchez, Zumel, Castropalao, Tapia, Bresf. Pasq. Veric. Candidus, & alii cum Moya, & cum Cardenas. *n.* 301.

14. Quæritur, an sit licitum operari secundum opinionem tenuiter, vel dubie tantum probabilem?

Respondeo 1. Non est, per se loquendo, licitum, operari secundum opinionem tenuiter tantum probabilem. Nam Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Generatim cum probabilitate sive intrinseca; sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*. Dixi, *per se loquendo*. Nam in gravissima necessitate, & quando opinio tutior non posset reduci ad praxin, licitum esset operari secundum opinionem tenuiter probabilem. Neque hoc ab Innocentio XI. damnatur, uti recte notat Cardenas: quia necessitas gravissima quodammodo auget probabilitatem, facit enim ut omissio operationis sit sufficienter probabilis in ordine ad tollendum dubium practicum. *n.* 366.

15. Quæritur, an licitum sit sequi sententiam quæ probabiliter tantum est probabilis? Respondeo. Negant Terillus, Lumbier, Filg. & alii: quia talis opinio videtur esse tantum tenuiter vel dubie probabilis. Econtra affirmant Tamburinus, Illsung, Banholtzer, Arsdekin: quia dicere, esse probabiliter probabilem, idem est ac dicere, quod omnibus expensis possit prudenter judicari pro ea esse gravem rationem, & consequenter quod pro ejus veritate sit grave motivum, adeoque vix discrimen erit inter opinionem certo & probabiliter tantum probabilem. V. g. si homo ignarus consulat doctum Theologum: quod hic resolvet, erit illi tantum probabiliter probabile, cum ipse non capiat fundamenta; & tamen, inquiunt, recte sibi format conscientiam secundum responsum illius Theologi. Idem dicunt de opinionibus quæ probabiliter tantum inferuntur ex aliis certo probabilibus. Rationem dant: quia ubi opinio est probabiliter probabilis, æque potest formari dictamen ultimum certum, atque ubi est certo probabilis. Potest enim dubium prudenter deponi propter rationem probabilem, sicque judicare potero, probabile esse, quod opinio illa sit probabilis. Ergo non amplius dubitabo de probabilitate illius opinionis: dubium enim est suspensio omnis assensus. Ego autem hic habebo assensum. Unde etiam monent, hic bene distinguendum esse inter formidinem & inter dubitationem. Quamvis enim opinio probabilis habeat adjunctam formidinem, non ideo est dubitatio, cum adsit assensus. Addunt rationem a posteriori: quia si tenemur semper examinare, an opiniones directæ quas sequimur, sint certo probabiles, inducemur in infinitos scrupulos. Hæc sententia est probabilis; in quæstione tamen de nomine, malo absolute dicere, opinionem secundum quam formatur conscientia, debere esse certo probabilem, ne quis se periculo exponat formandi conscientiam secundum opinionem tenuiter, vel dubie tantum probabilem. *n.* 368.

16.

16. Quæritur, an liceat hanc & oppositam sententiam probabilem sequi in eadem materia? Respondeo. Caramuel dicit, probabile esse, quod aliquis semper possit. Sed hunc recte confutat Cres. a Borgia. Tamburinus dicit, licere, dummodo probabilitas opinionis non pendeat immediate a nostra voluntate: quandonam autem pendeat, vel non pendeat a nostra voluntate, non satis declarat. Bardi, Sporer melius dicunt, non licere, si lex aliqua occurrat, cujus obligatio sit certa, & quæ post assumptam, alteram sententiam probabilem impleri non posset. Lugo, Esp. ponunt hanc regulam: numquam licitum est mutare opinionem semel electam, si hoc foret certo in præjudicium alicujus legis. Haunoldus docet, etiam non esse licitum eodem tempore usurpare utramque opinionem in præjudicium tertii. *n.* 370. 371. 372. 373.

17. Quæritur, an licitum sit operari secundum opinionem alienam, quam tamen operans judicat reipsa esse falsam? Respondeo, non licere, si opinionem illam judicat esse ita falsam, ut non censeat esse vere & certo probabilem: ideoque correptione dignus est Machado, inquit Cardenas dicens, id etiam tum licere, pro quo etiam falso citat multos auctores. *n.* 376. Si quis judicet, opinionem alienam esse probabilem, quamvis videatur esse falsa, ideoque spectatis principiis directis usus illius videatur esse illicitus, si tamen de hoc certus non sit; valde probabile est, quod ex principiis reflexis possit sibi formare prudens dictamen, & secundum eam opinionem operari dicendo: *Judico quidem, opinionem illorum esse falsam; quia tamen hoc mihi incertum est, & auctores me sapientiores, qui opinionem possunt reddere certo probabilem, dicunt, illam esse veram; ego quoad hanc opinionem me accommodabo illis, & interea præscindam a directa opinione mea.* Ita absolute tenent Azor, Vasq. Valent. Salas, Bonac. Sot. Bann. Serar. Bardi, Tann. Sanch. Terill. aliique plurimi & gravissimi auctores cum Illung., & Mendo. Est autem contra Schildere, Eliz. Esparz. Ehrentr. Camargo. *n.* 377. Dixi, valde probabile esse: nam non est opus, hoc defendere; sed satis est dicere, quod liceat sequi opinionem de cujus probabilitate scitur, & de cujus falsitate absolute ferri non potest judicium, quod raro etiam fieri potest, uti fatetur Esparza. *n.* 378.

18. Quæritur, an ut aliquis licite operetur secundum aliquam opinionem probabilem, necesse sit hanc opinionem directam elicere, vel actu habere? V. g. an ad hoc ut me licite resolvam ad pingendum die festo, necesse sit me judicare, quod pingere non sit servile? An vero satis sit, quod sciam, & tantum reflexe judicem, probabile esse, quod pingere die festo non sit servile?

Respondeo, sufficere judicium reflexum de probabilitate judicii directi, si eliceretur. Ita docent plurimi cum Cardenas, Teril. Moya. Est autem contra Esp. Gonz. *n.* 387.

19. Quæritur, si motiva utrinque sint æque probabilia, an intellectus possit per voluntatem applicari ad assentiendum huic potius quam illi parti?

Respondeo. Si sit materia juris, potest intellectus per voluntatem applicari ad assensum etiam quandoque prudentem potius unius quam alterius partis. Ita habet communis. Est autem contra Azor. Castropal. Schild. Mercor. Eliz. Gonz. Ehrentr. Camarg. *n.* 399.

20. Quæritur, si motiva pro una parte sint probabiliora, an etiam tum possit intellectus per voluntatem applicari ad assentiendum parti minus probabili?

Respondeo. Quod materiam juris at-

attinet, potest voluntas applicare intellectum, ut motivis minus probabilibus assentiatur. Ita auctores *n.* 399. citati. Contra nos tamen sentiunt Layman, & Pallav. Item Esparza, saltem pro casu quo intellectus evidenter judicat motiva pro una parte esse graviora. *n.* 915.

21. Quæritur, an subditus teneatur obedire superiori imperanti aliquid probabiliter licitum, si subdito probabilius sit illud esse illicitum?

Respondeo. Affirmat recte Busembaum. *n.* 431. Communis sententia absolute tenet, talem subditum teneri obedire. *n.* 433. Objicies: Licitum est subdito non obedire, si sit probabile, non esse obligationem obediendi, uti docent Say. Torr. Thomas & Joan. Sanchez; atqui si subdito sit probabilius, quod objectum sit illicitum, tum probabile est, non esse obligationem obediendi. Nam obligationem in eo casu negant Salas, Ledesma, F. Lugo, F. Sanchez, Diana, Escobar, Castrop. *n.* 438.

22. Quæritur, an Confessarius possit, vel debeat contra propriam opinionem, etiam probabiliorem absolvere pœnitentem, qui tenet oppositam probabilem, & de reliquo rite est dispositus? V. g. si pœnitens probabiliter putet, sibi licere, ideoque etiam posthac velit diebus festis scribere lucri causa, an Confessarius judicans probabilius esse, quod id non liceat ipsi, possit, vel debeat eum absolvere?

Respondeo. 1. Si Confessarius omnibus bona fide & sine passione consideratis judicaret, opinionem pœnitentis non esse probabilem, absolvere non posset, nisi pœnitens promitteret imposterum opinionem suam deserere.

Respondeo. 2. Si Sacramentum per hoc exponeretur periculo nullitatis, Confessarius eum non posset absolvere.

Respondeo. 3. Supposito casu quæstionis, vel alio simili, omnino videtur certum, quod Confessarius teneatur absolvere pœnitentem. Ita docent auctores communissime. Est autem contra Fagnanum, Baron. Mercor. Philalethum, Eliz. Gonz. *n.* 443. 444. 445.

23. Quæritur, an Principes, & Superiores sint tuti in conscientia, si nude sequantur judicia & consilia probabilia suorum Consiliariorum?

Respondeo. 1. Rationes pro affirmativa sunt &c. His non acquiescit Elizalde, sed absolute negat, Regentem ex hoc fore tutum in conscientia.

Respondeo. 2. Utraque sententia habet aliquid veri. Nam Principes, & superiores non sunt tuti sequendo quosvis Consiliarios, adulatores, non timentes Deum. Nec satisfaciunt suo officio, si per alios faciunt omnia. Ut tuti sint, tenentur seposita omni reflexione humana eligere Confessarios, quos putant præ reliquis fore prudentes, probos, incorruptibiles, & ejus animi, qui sensa sua depromere audeant. Tenentur rationes auditas utrinque perpendere, & quas certo advertunt veras, sequi; si vero res incerta sit, per se loquendo, possunt sequi consilium probabile suorum, relicto eo quod ipsi judicant probabilius. *n.* 454. 455. 456.

24. Quæritur, an sit aliquando obligatio sequendi probabiliorem, relicta minus probabili? Negant Vasq. Haun. Cardenas, & Terillus, aliique multi, nam universaliter dicunt, in omni materia esse licitum sequi opinionem probabilem relicta probabiliore.

Si opponas 1. v. g. ministrum Sacramenti teneri sequi probabiliorem de valore.

Respondent, oppositam in istis circumstantiis non esse probabilem, nisi speculative; se autem loqui de

practice probabili. Sed clarius videmur loqui, si dicamus, quod sit obligatio sequendi probabiliorem relicta minus probabili. 1. Si minor probabilitas sit tantum speculativa. 2. Si obstet lex vel mandatum superioris. 3. Si contractus vel quasi contractus prohibeat sequi minus probabilem, uti est in Judice &c. 4. Si caritas erga proximum, vel seipsum aliter postulet. 5. Si alioquin Sacramentum exponeretur periculo nullitatis, ut dicetur l. 6. *n.* 457.

25. Thomas Sanchez, Sporer, aliique docent, pro articulo mortis esse obligationem ad sequendam probabiliorem, aut saltem tutiorem, etiamsi non adsit alia ratio, quam quod sit pro articulo mortis. Econtra Joan. Sanchez, Lugo, aliique apud Dianam, & Gobat negant. -- Nam illa obligatio exponeret moribundos gravissimis molestiis, anxietatibus, & periculis desperandi. Quamvis autem tutius sit in articulo mortis ista facere; tamen non est tutius, sed periculosius judicare, se ad id obligari, uti n.471. & 475. probabitur. *n.* 458.

26. Quæritur, an sit specialis obligatio quandoque sequendi unam probabilem relicta probabiliore, vel alia similiter probabili?

Respondeo. Dixi, ad hoc specialiter obligari subditum. Nunc addo universaliter, quod quivis, qui licite potest, teneatur sequi probabilem relicta probabiliore, si hoc postulet salus, vel emolumentum, præsertim spirituale, proprium, vel alienum. Ea enim est lex caritatis, ut mihi & proximo prosim, ubi licite & commode possum. Docent præterea Gobat, & Lohner, esse specialem obligationem sequendi minus probabilem in his casibus, nempe si agatur de valore matrimonii. Item quando agitur de valore testamenti, vel favore religionis. Item quando agitur de potestate clavium & jurisdictione Ecclesiæ. Item quando minus probabilis sententia favet piæ causæ. Addit Cardenas, si sint duæ sententiæ utrinque probabiles, & una pro immunitate ecclesiastica. Denique de pœnitentia ostendam, ubi sunt opiniones utrinque probabiles, per se loquendo, operandum esse potius secundum benignam. *n.* 469. 460.

27. Quæritur, an opiniones novæ potius docendæ, & sequendæ sint quam antiquæ? Respondeo 1. Opinio duplici sensu appellari potest nova; vel quod opponatur antiquorum Doctorum opinioni; vel quod nunc sit inventa, fueritque antiquis incognita. Si in primo sensu sit nova, habeatque grave fundamentum, non est ratio, cur secure non possit practicari, & doceri, uti recte cum aliis Moya. Præferenda est sententia juniorum, si decretum, vel consuetudo, vel rationes novæ & graves afferuntur, quas antiqui non considerarint, & tamen præponderent antiquorum rationibus, quæ etiam facile dissolvantur. — Notandum etiam hinc monitum Dianæ, qui cum retulisset aliquas opiniones recentiorum, sic subdit: *Oh quantà ego haberem, & dicerem, quæ novitatum amatoribus nimis plausibilia essent, si calamo, & ingenio liberam vagandi facultatem haberem! Sed ut sapientissimo Caramueli respondi, Romanus incolatus, & aliena pericula cautum in scribendo me fecerunt.* *n.* 466. 467. 469.

28. Quæritur, an omnes opiniones sit æque tutæ? & quænam censeantur tutiores? Respondeo 1. Joan. Sanchez, Caramuel, Illsung, aliique multi apud Moyam dicunt, omnes vere probabiles esse æque tutas. Sed contra est &c. Respondeo 2. Illa opinio dicitur tutior quæ magis recedit a periculo legis tam materialiter quam formaliter violandæ, aut alterius mali incurrendi. *n.* 471. 472. Caramuel putat, opiniones laxiores, si sint vere probabiles, esse omnium tu-

tutissimas. Sed Auctor ille non sumit *tutius* in ea significatione in qua jam definivimus. Esparza recte ista sic componit, ut fateatur, tutius esse operari hoc quod vult rigida sententia; attamen periculosius esse, operari ex obligatione rigidæ sententiæ.

29. Quæritur, quid notandum circa hoc axioma: *In dubio, melior est conditio possidentis*. Respondeo. Axioma illud valet non tantum in materia justitiæ, sed etiam in aliis. Ita Suar. Sanch. Castrop. Ovied. Dicast. Lugo, Teril. Joan. Sanch. Banholt. Stoz. Moya, Bonac. Tann. Fil. Diana, Sporer. Est autem contra Azor, Vasq. Salas, Turr. Comit. Sayr. Perez. Veric. Eliz. Gonz. Camargo, Gonet, qui dicunt tantum valere in materia justitiæ. *n.* 502.

Ex tract. 2.

DE LEGIBUS.

1. Leges Pontificiæ, si Romæ sint promulgatæ, hoc ipso *per se loquendo* obligant totum orbem, uti docent communiter Canonistæ: item Suar. Vasq. Aversf. Castrop. & alii cum Cardenas, qui dicit esse certum, licet contradicant Mol. Becan. Laym. & alii tum Theologi, tum etiam Canonistæ apud Dubois, qui volunt, etiam Pontificias tum tantum obligare, quando sunt promulgatæ in singulis provinciis, & primum post duos menses, uti leges aliæ. Dixi, *per se loquendo*. Nam recte notat Suarez, legem quamvis Romæ competenti loco promulgatam, non statim obligare quocumque loco distante; sed requiri tempus quo notitia ejus ordinario modo ad eum deferri potuerit. Ut tamen obligare incipiat, non est opus singulis, sed satis est plerisque esse notificatam. Cum enim feratur communitati, hæc primo obligari debet, & tum singuli, in quantum sunt singuli, uti recte Illsung. *n.* 579.

2. Quæritur, si lex præcipiat aliquid pro certo tempore, quomodo illud intelligi debeat. Quæstio habet locum in variis materiis, v. g. in jejunio a duodecima noctis pro communione, in abstinentia a carnibus, & lectione Horarum, in obligatione jejunandi, in obligatione non suscipiendi subdiaconatum, nisi anno 22. inchoato &c. Putant Caramuel, & Pasqualigo, tale tempus posse intelligi præter propter; ideoque circa illud dari parvitatem materiæ, uti si quis unico quadrante post duodecimam oraret Completorium; si in jejunio secunda vice comedas media hora ante duodecimam noctis; si die Jovis inceperis cœnam in carnibus ante mediam noctem, & continues infra horam post mediam noctem. In his & similibus casibus dicunt peccari tantum venialiter. Illæ sententiæ videntur mihi esse improbabiles; unde tenendum tamquam certum, quod tempus ejusmodi numerari debeat de momento in momentum. Ita Diana, aliique omnes communissime. Videri potest Cardenas, qui sic habet: „ Pasqualigus, „ vir valde doctus, de re theologica „ optime meritus, nescio quo fato in „ Tr. de jejunio exorbitaverit. " Fortasse eum tractatum junior scripsit. *n.* 582. 583.

3. In dubio, an lex sit usu recepta nec ne, Bonac. Sanch. & alii dicunt, præsumi debere quod sit recepta. Econtra Salas, Azor, Dicast. negant. Videtur distinguendum. Nam si sit talis lex, ad cujus obligationem requirit acceptationem populi, probabilior esse videtur sententia secunda. Si autem non indigeat acceptatione populi, prima videtur præferenda. *n.* 591.

4. In dubio, an consuetudo sit introducta ex devotione, an ex animo se obligandi, putant Azor & Reginaldus, præsumendum esse, quod sit inducta animo se obligandi. Econ-

tra Diana, Pasq. aliique multi cum Suar. probabilius dicunt, præsumendum esse, quod sit inducta ex devotione tantum. Illsung consentit, nisi aliud colligeretur ex communi hominum sensu, vel ex obiecti gravitate & necessitate, aut speciali utilitate. *n.* 592.

5. In dubio, an legem ferens sit legitimus superior, v. g. an legitime sit electus nec ne, Sanch. dicit subditum teneri obedire. Econtra Mendo, aliique docent, non teneri. Oviedo probabilius sic distinguit: si superior habeat possessionem sui officii; v. g. si acceperit claves, sigillum, aut alia signa officii, subditus tenebitur obedire; econtra si nullam officii possessionem acceperit, subditus poterit non obedire. *n.* 593.

6. In dubio, an superior potestatem habeat hoc imperandi; aut an hoc quod imperat, potestatem ipsius excedat: Diana, Oviedo, aliique apud Mendo defendunt ut probabile, subditum non teneri obedire. Sed Sanch. late ostendit oppositum, & sequitur ex dictis a *n.* 432. *n.* 594.

7. In dubio de justitia legis, aliqui apud Dianam supra, & cum Dicast. dicunt, probabile esse, quod subditus non teneatur obedire. Sed Oviedo dicit, oppositum sibi esse certum, uti probatum est a *n.* 432. Quod si tam superior, quam subditus dubitent, an res præcepta sit licita, peccat tam superior præcipiendo, quam subditus obediendo: quia operantur cum dubio practico; & specialiter ideo non tenetur obedire subditus, quia scit, superiorem non habere potestatem imperandi, quando ipsemet dubitat, an licite imperare possit. Lugo. *n.* 595.

8. In dubio, an lex contineat præceptum, an tantum consilium, aut exhortationem, dicendum est posterius, uti notant Sanch. & alii. Similiter in dubio, an lex obliget sub mortali, an sub veniali tantum, tenendum est obligare sub veniali tantum. Sententiam nostram tenent Nav. Sanch. Dian. contra Layman & alios. *n.* 596.

9. In dubio, an adsit, vel non adsit causa sufficienter excusans a lege, Salas putat, non esse obligationem, si lex sit molesta: quia favendum est libertati, quantum possumus, quod Dicastillo dicit non esse improbabile: tunc enim dubitatur, an lex fuerit umquam imposita pro tali casu & circumstantia. Sed alii oppositum tenent. Ita Sanch. Dicast. Sporer, aliique passim. *n.* 598.

10. Lex dividitur in moralem, pœnalem, & mixtam. Mixta est quæ obligat sub culpa theologica, simulque sub pœna: unde audiendi non sunt qui apud Moyam, & Dianam non agnoscunt in lege ullam obligationem sub culpa, & pœna, sed volunt omnes esse vel morales tantum, vel tantum pœnales. *n.* 607.

11. Si res præcipiatur sub pœna non gravi, v. g. sub excommunicatione minori, sub interdicto ad breve tempus, obligabit tantum sub veniali. Si præcipiatur sub pœna gravi, sed ferendæ sententiæ, non semper intelligi poterit obligare sub culpa gravi, uti recte cum alii Lugo: sæpe enim pœna est ad terrendum. Et universaliter loquendo, si lex tam civilis, quam ecclesiastica feratur verbis præceptivis, & materia sit gravis, videtur probabilius cum Castrop. Illsung, & aliis contra Nav. quod lex non sit pure pœnalis, sed mixta. *n.* 611.

12. Si lex consistat in privatione, ita ut faciat aliquem inhabilem ad acquirendum, v. g. ad habendum titulum, ad faciendum fructus suos, Pirrhing., citans Castrop. docet, incurri pœnam ipso facto, absque illa sententia, vel declaratione. Illsung universaliter concludit; quamvis adderetur, *ipso facto ante declarationem;* tamen de facto nullam dari legem pœnalem, quæ nulla præmissa judicis

cis

cis sententia, denuntiante vel pœnam, vel crimen, obliget, exceptis legibus statuentibus censuram Ecclesiasticam, irregularitatem, reservationem absolutionis, impedimentum criminis in matrimonio, privationem petendi debitum conjugale ratione incestus intra secundum gradum, privationem fructuum ob neglectas Horas. *n.* 612.

13. Qui obtinuit dispensationem pro prima tonsura, non præsumitur obtinuisse pro minoribus, uti communiter docetur contra Dianam. *n.* 622.

14. Quod lex, etiam Ecclesiastica, non recepta, non obliget, etiamsi primi non recipientes peccarint, est communis sententia, quam tenent Nav. Covarr. Concell. Menoch. Mandos. Guttier, Paris, Valent. Sylvest. Armill. Rodrig. aliique plurimi cum Suar. Sanch. Garc. Moya. Quod verum est, etiam si lex contineat decretum irritans. Riccius, dicens communem, Puteus, Garc. Item, etiamsi deroget consuetudini. Garc. citans alios. Item etiamsi non sit recepta per ignorantiam. Garc. citans Nav. & Rodrig. Addidit post Lessium & alios Cardenas, leges Ecclesiæ ex benigna interpretatione voluntatis Pontificum non obligare ante acceptationem, quando est causa rationabilis non acceptandi. *n.* 632.

15. Putat Garcias, probabile esse ad tollendam obligationem legum non receptarum, etiam ignorante Legislatore, non requiri decennium, sed sufficere actus contrarios in numero sufficiente secundum arbitrium prudentum: quia ita videtur servari in praxi; pro quo citat Nav. Felin. Bottæ. Sed contradicunt Suar. Salas, cum communi, requirentes, ut hoc fiat sciente, & tacente Legislatore. *n.* 633.

16. Putat Garc. necesse non esse ut generaliter, & a majore parte Ecclesiarum unius Provinciæ non sit recepta lex: quia v. g. Capitulum unum hic non consideratur ut persona particularis, sed ut universitas. Quæ doctrina admitti potest, si lex lata sit pro solo tali Capitulo. *num.* 634.

17. Certum videtur, quod Bulla Cœnæ in Germania non obliget hodiedum quoad aliqua, vel saltem non cum illo rigore, uti notant Laym. aliique gravissimi recentiores in manuscriptis. *num.* 637.

18. Quæritur, an durante appellatione, vel supplicatione (contra illam) subditi debeant observare legem. Respondeo. Si lex servari possit sine magna rerum mutatione, vel periculo scandali, Suarez putat, observandam esse, quia certo possidet, & excusatio est dubia. Idem tenent Vasq. Lorca, Garc. consentit, Castrop. Econtra Bonac. Salas. Rodrig. Gran. Steph. Fabri, & alii apud Moyam putant, obligationem suspendi, quia ita habet usus, & praxis; neque ideo puniuntur subditi, si interea non observent. Sicque præsumitur de benignitate Ecclesiæ, uti cum Less. & Carden. dictum est. *num.* 639.

19. Quæritur, an lex humana possit præcipere, vel prohibere actum externum in ordine ad actum internum, sive recipiendo actum internum tamquam finem, ad quem Legislator ordinet extremum? Negat Caramuel: quia cum media specificentur a fine, qui non habet potestatem in finem, ad quem diriguntur media, jam non habet potestatem in media. Consequenter, inquit Caramuel, pater non potest prohibere filio ingressum in aliquam domum, eo fine ut filius non habeat delectationes internas; nec superior ideo poterit subdito Religioso prohibere lectionem libri turpis, quia prohibere delectationes internas est supra potestatem humanam. *num.* 645.

20. Quæritur, an lex humana possit

sit directe præcipere, vel prohibere actum mixtum ex interno & externo? idest, talem actum externum, qui absolute quidem esse posset absque actu interno, attamen ad cujus esse morale intrinsece spectat aliquis actus internus; uti ad esse morale confessionis, ut dicatur valida, simul spectat dolor de peccatis, qui est actus mere internus; ad esse morale contractus, qui sit validus, spectat interna volitio contrahendi. Negant multi, sed communius & probabilius affirmant alii cum Gobat, & Carden. *num. 647.*

21. Probabilius est materiam de se gravem, v.g. jejunium, posse substare levi obligationi, sive obligatio sit ex præcepto, sive ex voto. Ita tenent plurimi cum Castrop. contra Ariag. Bellarm. Becan. Vasq. Regin. Rhodes, & alios. *num. 668.*

22. Si Legislator prohibuerit efferre fruges, vel arma ex patria, si quis semel efferat, secundum Gran. & alios cum Diana, est materia levis, & excusatur a mortali; quod probabile est. Esset tamen notabile (*damnum Reipublicæ*) inquit Castrop. si efferrentur fruges v. g. pro 100. aureis, aut arma pro instruendis decem militibus. Econtra alii cum Sanch. æque probabiliter dicunt, etiam semel efferre esse materiam gravem & mortale: quia licet semel efferre secundum se non sit damnum grave, est tamen res gravis, & merito graviter prohibita: quia si singulis liceret citra morale semper efferre, facile fieret ut caussaretur notabile damnum reipublicæ. *num. 670.*

23. Probabilius est, si Religiosus tantum ad horam temere dimittat suum habitum, esse materiam levem, uti tenent Sanch. & alii cum Diana contra Suar. Castrop. & alios, qui dicunt esse materiam gravem. *num. 671.*

24. Sacro ordine initiatum ob commoditatem non gestare habitum ad modicum tempus, nempe ad quatuor aut sex dies, erit tantum levis materia, dummodo habitus qui assumitur, sit honestus, uti tenent Panorm. Ang. Tabien. Silv. Sot. Bann. Fill. & alii. Similiter si negligat tonsuram ad sex vel septem dies, erit materia levis, inquit Quarti. Immo putat Gobat, parochum non peccaturum mortaliter qui per sex vel octo septimanas negligeret coronam. De habitu tamen sentit rigidius, *num. 672.*

25. Si Moniales egrediantur a Clausura, aut alius ingrediatur Clausuram Monialium ad duos pedes, & statim redeat, est materia levis, uti recte Nald. Graff. & Dian. contra Sanch. & alios, qui dicunt, esse materiam gravem & mortale. Nisi maneret in ostio, aut pars unac orporis maneret intra vel extra. *num. 673.*

26. Quæritur, an Legislator, uti alii, graviter peccet, si non observet suas leges? Affirmant Reiffenstuel. Sfondratus. Econtra Bonac. Lessius. Delbene, & alii cum Castrop. & Illsung probabilius negant, & asserunt, per se loquendo peccare tantum venialiter. *num. 675.*

27. Quæritur, an pueri ante septennium completum teneantur legibus Ecclesiæ? Busembaum, & alii relati dicunt, obligari legibus iis quarum materia ætati eorum est conveniens. Hinc Bosco docet, tales pueros obligari ad confessionem annuam, si plenum usum rationis habeant. Econtra Diana, Joan. Sanch. Burgaber, Castrop. Illsung dicunt, non teneri; quamvis plenum usum rationis habeant, quia leges Ecclesiasticæ neminem obligant, nisi habentem usum rationis, quem non præsumunt, nisi post completum septennium. Utraque sententia est satis probabilis. *num. 676.*

28. Clericos directe & per se obligari potestate directiva legis civilis, docet cum aliis Castrop. Hinc consentit etiam Diana, Clericos peccare

care

care mortaliter, si eis non pareant. Et hanc sententiam dicit esse valde probabilem Burgh. Econtra Suar. Vasq. Azor. Fill. Bonac. Tann. Laym. Barbos. Busemb. etiam probabiliter dicunt, non obligari directe. Itaque tenebuntur tantum indirecte, ex vi legis naturalis, dictantis, partem unam communitatis debere se conformare ceteris. Hinc infert Burg. cum Salas, Caspensi, Bonac. Delbene, & aliis, Clericos probabiliter tantum peccare venialiter, si agant contra ejusmodi legem civilem. *num.* 678.

29. Quæritur, an teneatur servare legem qui ideo tantum cogitat exire e suo territorio, ut se a lege eximat? Per se loquendo non teneri, docent Sanch. Suar. Bonac. Delbene, & alii septemdecim cum Ills. & Pasq. Item alii plures apud Vindicem Tabernæ contra Salas, Sayr. Ledesm. & alios quinque. *num.* 683.

30. Quæritur, an peregrinus, antequam exeat suo territorio, teneatur audire Missam in festo speciali sui territorii? Affirmant octodecim auctores apud Pasq. Econtra Busemb. & alii undecim absolute negant. Alii distingunt 1. Si antequam exeat, nullum fiat Sacrum in proprio territorio, non tenetur expectare, sed potest exire, & non audire Sacrum. 2. Si antequam exeat, fiat Sacrum tantum unum, tenebitur hoc audire. 3. Si antequam exeat, fiat Sacrum, & postea etiam aliud fiat, post quam exiverit, non tenebitur audire. Ita Sanch. Less. Sal. Castrop. Bon. Henriq. Præp. Amicus, Reiffenst. Delbene, Moya, aliique multi. Gobat putat utrumque probabile. *numer.* 684.

31. Ignorantia, & error sunt peccata, quando sunt objectum legis illa prohibentis, & nihilominus libere habentur: tum enim ignorantia habet se sicuti omissio actus fidei, quando præcipitur; error autem sicut positiva infidelitas. An autem dici debeant esse peccata, an tantum effectus peccati, dubium est. Aliqui volunt dici peccata, non aliter ac omissionem Sacri die festo. Alii cum Vasq. dicunt, esse tantum effectus peccati, putantque, peccatum compleri in sola negligentia removendi ignorantiam, vel errorem. *num.* 751.

32. Si nulla notitia specialis, ne quidem confusa, nec ulla ratio dubitandi in universum, aut in particulari occurrerit de eo quod ignoratur, vel circa quod erratur; talis rei ignorantia, & error dici debet invincibilis, & inculpabilis, ut recte Suar. Sanch. aliique communissime contra Eliz. *num.* 748.

33. In rebus inter classicos Auctores controversis & incertis debet ignorantia, vel error censeri invincibilis, si nitatur gravi motivo. Quia cum auctores graves dicant, veritatem esse in hac, alii in altera parte; nec resciri possit, quinam verum, quinam falsum dicant, qui hic ignorat veritatem, vel format judicium pro hac aut illa parte, habet ignorantiam, vel errorem, quem hic & nunc vincere non potest: ergo invincibilem. Ita Teril. *num.* 750.

34. Si nulla prudens cogitatio inciderit de ignorantia, vel errore, per peccatum incurrendo, licet postea ex peccato, sive propter peccatum sequantur, non sunt voluntaria, nequidem indirecte, neque peccatum; sed merus effectus, vel tantum pœna peccati, uti recte Teril. Probatque recte Suar. etiam ex sacris canonibus, nihil ad rem facere, sive ignorantia & error causentur per opus licitum, sive per illicitum, cum hoc non refundat voluntarietatem in aliquid non prævisum. Sed nec refert, sive per se, sive per accidens sequantur ex peccato. Nam si nulla cogitatio de hoc inciderit, non fuit possibile, ut cogitaret de illis præcavendis. Ergo, moraliter præcaveri non

non potuerunt: ergo sequuntur involuntarie. *num.* 753.

35. Quando mala sequuntur ab ignorantia vel errore sine actuali advertentia & libertate, non habent ullam propriam malitiam, vel imputabilitatem, sed ad summum denominantur mala seu peccata tantum per negligentiam præteritam in inquirenda veritate, uti docent S. Thom. Bonav. S. Anton. Suar. Vasq. Sanch. aliique communissime. *num.* 757.

36. Si quis heri per culpam ignoravit, vel concepit errorem, quod hodie, quando est festum, non esset obligatio audiendi Sacrum, (idem est in aliis similibus materiis) si hodie omittat Missam nihil amplius cogitans de illa obligatione, Rodrig. Medina, & alii absolute dicunt, peccare per illam omissionem: quia ignorantia, vel error ille non fuit revocatus. Ergo moraliter manet, & causat transgressionem. Azor. Vasq. Salas, Sanch. Præp. & alii cum Burghaber absolute dicunt, non peccare: quia illa hesterna voluntas non est amplius in se, nec in aliquo suo effectu. *num.* 758.

37. Quæritur, an taxari possit quantitas diligentiæ necessariæ ad hoc, ut ignorantia, vel error sit invincibilis & inculpabilis?

Respondeo. In rebus operabilibus & incertis sufficit ea diligentia per quam homo pervenit ad certo probabilem resolutionem casus, sive ad judicium prudens pro hac vel illa parte, sive id fiat per proprium studium, sive per responsum ab aliis peritis petitum, attamen secundum dicta num. 369. Hoc enim habito prudenter judicat, se habere veritatem. Ergo quamvis forte adhuc ignoret aut erret, non est ideo vituperabilis. Ergo ignorantia & error non est culpabilis. *num.* 763. 765. *Ita La Croix. Sed in num.* 369. *ad quem remittit, sic habet*. Implicat ut opinio sit probabilis ab extrinseco, si ab intrinseco sit improbabilis; neque probabilitas extrinseca datur, nisi probabilitas intrinseca saltem præsumatur adesse, uti recte Carden. Communiter tamen prudenter præsumi potest, quod adsit probabilitas intrinseca, ubi multi Auctores etiam nunc aliquam opinionem tenent. Hi enim non asserent temere, sed ab rationes inventas.. Homo tamen doctus, qui potest examinare rationes intrinsecas, non videtur tuto posse procedere, nisi examinet illas, vel prudenter præsumat, etiam in hac materia ab illis aliis examinatas esse. *Ita La Croix num.* 369.

38. Quæritur, an incurrat pœnam, ignorans esse affixam. Respondeo 1. si ignorantia sit inculpabilis, pœna ecclesiastica, v. g. censuræ, non incurritur. Hinc occidens Clericum, & nesciens, illi homicidio annexam esse excommunicationem non esse excommunicatus. Ita Suar. Sanch. Bonac. Coninc. Castrop. & alii contra Covar. Ledesm. & alios. Respondeo 2. Navarr. Sa, & alii cum Tamb. putant, etiam pœnas civiles, si extraordinariæ sunt, non incurri ab illo qui invincibiliter ignorat, illas transgressioni esse annexas; quod probabile etiam reputant Suar. Sanch. Castrop. *num.* 768.

39. Si pœna imponatur his verbis: *Qui præsumpserit, qui scienter, qui consulto, qui temere, qui audens &c.* putat Diana, & Burghaber, non incurri ab ignorante, illam pœnam esse annexam, quamvis ignorantia fuisset mortaliter culpabilis & affectata. Sanch. & Castrop. dicunt probabilius, tum tantum incurri, quando ignorantia affectata est talis, ut æquiparetur scientiæ. *n.* 769.

40. Si pœna absolute imponatur delinquenti, sitque pœna ecclesiastica, adhuc non incurritur ab ignorante, pœnam esse annexam, si ignorantia illa non fuerit crassa & supina, quamvis fuerit mortaliter culpabi-

pabilis. Ita Sanch. & Castrop. contra quosdam alios. *n.*770.

41. Quæritur, an dicta de ignorantia etiam valeant de oblivione naturali? Respondeo affirmative. Nam oblivio naturalis æquivalet ignorantiæ invincibili, uti recte cum aliis Sanch. & Dian. *n.*773.

42. Joan. Sanch. putat non esse intrinsece malum, uti simulatione in administratione Sacramentorum, adeoque posse aliquem metu mortis adactum sine intentione consecrandi dicere verba consecrationis super panes. Econtra Suar. Vasq. & alii communissime dicunt, talem simulationem esse intrinsece malam. *n.*776.

43. Castrop. dicit, esse intrinsece malum, legere Missam sine vestibus sacris. Econtra Bonac. Valent. Suar. Vasq. & alli communius cum Diana dicunt, non esse intrinsece, malum, ideoque secluso scandalo, & contemptu licere ad evadendam mortem. *n.*776.

44. Licitum est dedita opera aliquid facere, ut quis totaliter desinat esse legi subditus, uti recte Dicast. Hinc deducit cum Bonacina, non esse damnandum peccati, cùm laborem cum jejunio incompossibilem die jejunii obit, & vespere cœnat. Sed probabilius est, non licere eadem die qua quis in actu primo obligatus est, ponere impedimentum. Putat etiam Gobat cum Suar. Becan. Castrop. & aliis contra Ioan. Sanch. peccare qui quatuor aut quinque diebus, antequam urgeat obligatio, ponit impedimentum, directe intendens se eximere a præcepto etiam humano. *n.*784.

45. Ipso die quo adest obligatio, non licet illi qui pergit obligari lege, absque rationabili causa ponere impedimentum, quominus eam observet. Si tamen eo die posuisti impedimentum, & non possis amovere, nisi cum eo incommodo quod sufficeret ad excusandum eum qui sine culpa illud posuisset, non teneris lege. Et ita dicunt multi cum Dicast. quod ea lassitudo quæ labore necessario, aut utili inducta excusat a jejunio, etiam excuset, si sit orta ex inutili & peccaminoso labore. *n.*785.

46. Peccas, si hora ante mediam noctem diei festi exeas venaturus, prævidens te ideo non auditurum Sacrum. Illlung dicit, non peccaturum, si biduo ante exiret etiam ob negotium non necessarium, vocatque sententiam communem. *n.*786.

47. Capellanus hodie obligatus celebrare peccat contram justitiam, si hodie se inebriet, aut vestes sacras negligat accipere de loco vicino, aut illuc eat ubi non poterit celebrare. Ita Tamb. Putat tamen, non peccare si infirmitatem in se causet ante tempus urgens. Sed Sanch. Pasq. & alii probabilius dicunt, eum peccare. *n.*790.

48. Pleræque leges humanæ secundum usum & interpretationem communem non obligant, ne quis impedimenta apponat aliquot diebus antequam urgeant. Ita Suar. Becan. Salas, Castrop. Dicast. Sic non peccat specialiter qui per potum causat sibi ægritudinem, ob quam prævidet se fore impotentem post aliquot dies ad Sacrum audiendum, ad legendas Horas, ad jejunandum, ad communionem paschalem: item qui potans prævidet, suo morbo alios cras privandos Missa, secundum Suar. Becan. Bonac. Dicast. non peccat contra præceptum de Missa. *n.*792.

49. Si absit intentio defraudandi legem, non peccare eum qui per actionem ex se non illicitam reddit se pridie impotentem ad legem aliquam humanam observandam, docent Suar. Becan. Bonac. Dicast. adeoque non peocare qui die Sabbati iter ingreditur, prævidens se cras non posse audire Sacrum; immo nec qui ad venationem exit, uti pluribus docet Gob. & Moya, nisi exires

Y res

res circa 10. vel 11. horam noctis. Quod si impotentia illa forte causetur per actionem ex se malam, v. g. per ebrietatem, Bonacina dicit, non ideo peccare contra legem humanam, cujus observationi ponitur impedimentum. *n.* 793.

50. Si dispensatio a Superiore data sit sine justa causa, multi cum Illsung docent, subditum posse illa uti. Sed Azor, Sot. Salas, Sanch. Amicus, aliique cum Moya contradicunt. *num.* 802.

51. Qui occidit Sacerdotem, etiamsi in petenda dispensatione ab irregularitate solum exprimat, se occidisse hominem, valebit, uti habent Sanch. Laym. & alii cum Dian. contra Suar. & alios. *n.* 806.

52. Satis est si causa finalis (dispensationis) verificetur eo tempore quo Romæ conceditur dispensatio, & similiter illo quo Ordinarius, vel Confessarius dispensat, licet non verificetur tum quando petitur, neque postea, quando est concessa, & antequam executioni demandetur: quia sic rescriptum non est falsum, & nititur vera causa. Ita Sanch. Præp. Diana, & alii cum Castrop. & Gobat. Quod si causa cesset post dispensationem datam, & ab Ordinario factam, sed ante ejus executionem, Sanch. Con. Hurt. dicunt, non valere. Econtra valere docent Sa, Pontius, Tamb. apud Gobat; qui Tamb. & Gobat addunt, probabile esse quod etiam sufficiat adesse causam tum quando delegatus a Papa dispensabit. *num.* 808.

53. Privilegium, in quo dicitur: *Donec voluero, donec aliter ordinavero, ab beneplacitum Sedis Apostolicæ*: durat etiam mortuo concedente. Sa, Castrop. Quod etiam dicit Castrop. licet ponatur, *ad beneplacitum meum, vel nostrum*. Sed Sa merito contradicit. *num.* 836.

54. Adhuc sunt Auctores qui dicunt, probabile esse, manere valorem privilegiorum vivæ vocis pro Regularibus. Quod si probabile est, poterunt eis uti. Quod si forte non subsistant ejusmodi privilegia, Ecclesia supplebit, uti probat Cardenas. *num.* 852.

55. Refert Diana, quod Pius V. per Bullam confirmet omnia mendicantium privilegia, etiam vivæ vocis oraculo concessa. Similiter Paulus V. confirmavit privilegia Dominicanorum, Gregorius XIV. privilegia Soc. Jesu, Clemens VIII. privilegia Benedictinorum, Paulus V. privilegia Carmelitarum Discalceatorum. Ex his Auctores ad minimum tredecim apud Carden. & alii recentiores apud Illsung, & apud Gobat, inferunt, omnia vivæ vocis oracula ante hos Pontifices data illis Ordinibus, aliisque communicantibus ipsis, vim habere ex Bullis, & æquivalenter esse bullata, adeoque revocata non esse per Gregorium XV. vel Urbanum VIII. Hoc ipsum judicarunt alii viri docti. Favetque Escobar, & Dicast. Gobat, post multa utrinque disputata subjungit, sibi adhuc probari doctrinam, aliis sapientissimis viris etiam probatam, videlicet, tunc non esse solius vivæ vocis oracula, sed censeri bullata, quando sunt data alicui communitati, cujus omnia privilegia confirmavit ex certa scientia aliquis Pontifex per Bullam, Breve, vel motum proprium; adeo ut hæc sententia saltem ab extrinseco videatur probabilis. *num.* 856.

56. Quæritur, an cessante fine legis in aliquo particulari, etiam pro hoc particulari cesset obligatio legis? v. g. lex prohibet die Veneris carnes, ut sic maceretur corpus, an ille qui magis delectatur, & melius nutritur piscibus quam carnibus, possit die Veneris carnes comedere? Cessare negant fere omnes, teste Diana. Econtra cessare affirmant Arriag. Caram. Diana, aliique apud

Pen-

Pennaf. item Scaccia, Nav. Henriq. Comit. uti putat Moya, quibus ex parte favet Carden. *num.* 863. Si finis adæquatus legis cessaret in aliquo particulari, etiam in eo cessaret obligatio legis. Ita Nav. Cajet. Valent. Henriq. Tiraq. Hurt. Gran. aliique multi cum Carden. *num.* 867. Probabilius videtur quod finis adæquatus legis humanæ non possit cessare quoad aliquem in particulari, si quoad communitatem maneat. Ita Auctores sententiæ negativæ contra Auctores affirmativæ. *num.* 868.

57. Quæritur, an desinat obligari qui probabiliter judicat, se non obligari lege? Respondeo. Excusatur ab obligatione, si occasio sit subita, & urgens periculum, ita ut non detur tempus consulendi superiorem. Ita S. Th. Cajet. Sot. Suar. Teril. *n.* 877.

III.

DE PECCATIS IN GENERE.

Apud La Croix Lib. V.

1. CErtum est ad peccatum prærequiri aliquam advertentiam ad legem Dei, & ad malitiam objecti. Ita docent omnes communissime. Nihilominus oppositæ opinioni favent Eliz. & Camargo. *num.* 16. Objiciunt 1. Zelus Sauli probat, quod peccarit cum omnimoda ignorantia actuali, sive sine remorsu & scrupulo, quando persequebatur Ecclesiam. Respondeo. N. ass. Nam zelus ille erat cum passione & pertinacia conjunctus, qualem etiam sæpe habent hæretici formales, aut homines invidi persequentes hostes suos. *n.* 57. Objicitur 5. Si ad peccatum requiritur advertentia malitiæ, ergo quanto peccator est magis corruptus, vel excæcatus, vel suis passionibus abreptus, tanto minus peccat, quia minus advertit malitiam. Respondeo. Si supponas, adesse absolutam inadvertentiam, ita ut nullo modo cogitetur de malitia hujus objecti, quamvis ignorantia, vel incogitantia sit culpabilis, opus ex ea sequens non habebit malitiam specialem, nisi præcise illius negligentiæ, vel neglectus sciendi & advertendi; nec erit imputabile ratione sui, sed tantum ratione causæ. *num.* 21. Supposito, quod quis aliquid faciat cogitans, esse quidem graviter malum, sed in genere tantum, ita ut nullo modo cognoscat, an sit malum hujus vel illius speciei, quamvis peccet mortaliter, tamen non contrahit specialem malitiam alicujus determinatæ speciei. Unde in confessione explicare debet hoc vel simili modo: *Feci aliquid cum apprehensione, quod in genere peccarem graviter. num.* 21. Objicitur 7. Sacerdos peccat peccato sacrilegii, quamvis expresse non cogitet se esse Sacerdotem. Ergo inadvertentia non excusat. Respondeo, N. Conseq. Quamvis enim expresse non cogitet, tamen obscure, & implicite cognoscit se esse Sacerdotem. Quod si supponas, eum nullam omnino habere cognitionem sui status, nego contrahi specialem malitiam sacrilegii. *num.* 23.

2. Quæritur, an cognitio legis divinæ, vel malitiæ, prout Deo displicentis, ita prærequiratur ad peccatum, ut si daretur ignorantia invincibilis Dei, hæc excusaret a peccato formali contra Deum? Respondeo affirmative. Ita communissime Auctores. Zumel dicit, Atheum ad fidem conversum prudenter interrogandum, an cognoverit, suum scelus esse offensam Dei? *num.* 25.

3. Peccatum internum non completur in ratione peccati externi per ullos actus, vel omissiones necessarias. Objicitur. S. Thomas dicit: Si quis ob ebrietatem omiserit surgere ad Matutinas, hoc peccatum imputari ad culpam, non quando se inebriavit, vel dedit causam illi omissioni, sed quando reipsa dormit eo

tempore quo deberet esse in Matutinis. Respondeo cum Compt. & Dicast. dist. Ille (tunc) non posset dici omisisse moraliter & in sensu theologico, C. physice & in sensu vulgari, N. Hoc tantum est quod vult S. Thomas, nempe non omisisse in communi & vulgari modo loquendo. Nos autem assignamus, per quid moraliter, theologice, seu in ratione peccati externi compleatur talis omissio, & quando dicatur incurri tota ejus malitia; dicimusque tum esse, quando libere fit, aut quando libere ponitur causa omissionis postea sine libertate secuturæ. *num.* 29.

4. Quæritur, an effectus mali ex peccato sequentes dicendi sint esse peccata. Respondeo. Probabilius videtur effectus malos ex peccato sequentes non esse dicendos peccata; si nullo modo fuerint prævisi. Ita Vasq. Lessi. Arr. Baldel. Dicast. Tann. Gob. aliique contra multos antiquos & recentiores. Instas. Effectus qui per se ut plurimum sequitur, potuit, & debuit prævideri: ergo semper est culpa, non fuisse prævisum. Respondeo, sæpe ita esse. Sed si nec suspicio, vel scrupulum de hoc inciderit, nego, in illis circumstantiis potuisse aut debuisse prævideri: quia prima cogitatio de re aliqua non est in nostra potestate. Ergo si nulla incidit cogitatio de obligatione attendendi, vel cavendi, malitia non contrahetur. *nu.* 31. Objicies 2. Quod fit ex ignorantia culpabili, est peccatum. Sed pollutio secuta ex turpiloquio, quamvis prævisa non sit, fit ex ignorantia, & illa ignorantia est culpabilis. Ergo. Respondeo, dist. Min. Illa ignorantia est culpabilis in se, C. respectu effectus secuturi, N. Ut enim respectu effectus dici posset culpabilis, debuisset connexio causæ cum effectu fuisse aliquo modo cognita. *num.* 32.

5. Nullus effectus ideo potest dici proprie peccatum, quia sequitur ex peccato, quamvis in peccato velut causa fuerit prævisus, vel etiam intentus. Ita Bonac. Lugo, Amic. Dicast. Herincx. & alii contra Cajet. Sot. Tann. Gonet. & alios. Nam, quamvis voluntas non sit retractata, tamen non ideo dici potest peccatum. Ratio est, quia omne actuale peccatum debet esse saltem denominative actu voluntarium & liberum, quando fit. Ergo. Objicies. Mors denominatur actu volita per volitionem præteritam: ergo etiam potest per illam denominari actu voluntaria. Respondeo. N. Conseq. Quia esse actu volitum est prædicatum commune tempori præsenti & præterito. Nam quod actu volo, & quod aliquando actu volui, dicitur pro illo tempore actu volitum; econtra actu voluntarium est prædicatum tantum de præsenti, & quidem physico. Ergo non habetur, nisi a forma actu existente. *num.* 34.

6. Quæritur, an effectus mali ex peccato sequentes sint saltem moraliter, vel ad culpam imputabiles? Respondeo. Si prævisi non fuerint, non sunt imputabiles ad culpam, quia nullo modo sunt voluntarii; econtra si sint prævisi, & intenti, sunt moraliter imputabiles hoc sensu, quod culpabiliter sit posita causa. Attamen non est nunc culpa, quod sequantur: & hoc sensu non erunt nunc moraliter imputabiles, sed tantum physice. *num.* 41.

7. Effectus malus intentus, vel prævisus ex causa illicite posita est suo modo æqualiter imputabilis, sive sequatur post, sive ante voluntatem retractatam. Ratio est, quia illa retractatio neque facit ut reipsa libere posita non sit illicita causa talis effectus intenti & prævisi, neque facit ut illa causa careat influxu in talem effectum, utpote, ut ponitur, inimpedibilem. Ergo nec impedit dependentiam a tali causa; ergo nec im-

imputabilitatem. Objicies. Per retractationem tollitur ratio voluntarii a peccato. Respondeo distin. Tollitur ratio voluntarii quoad tempus secuturum, C. quoad tempus præteritum, N. Retractatio facit quidem ut peccatum non amplius sit actu volitum; attamen non facit ut pro præterito non fuerit voluntarium. Instas. Si talis effectus adhuc imputetur, vel ergo ad culpam, vel ad pœnam. Respondeo: imputatur præteritæ culpæ, non quod nunc sit, aut dici possit culpa; sed quia referri debet in culpam præteritam veluti causam, eique attribui velut effectus, sicut fomes peccati attribuitur peccato Adami. *n.*42. 43. 44.

8. Si causa effectus mortaliter mali fuerit tantum venialis, quamvis hic effectus fuerit prævisus, non posse nisi ad veniale imputari, docent Sanch. Less. Dicast. Gob. aliique cum Diana & Burgaber; quamvis alii apud Tann. dissentiant; putentque imputandum etiam ad mortalem, saltem si effectus malus sequatur ex causa veniali spectante ad eamdem materiam, cujus est effectus; uti si pollutio sequatur ex turpi joco venialiter tantum malo. *n.*46.

9. Quæritur, an illa quæ inadvertenter fiunt ex consuetudine peccaminosa, sint voluntaria. *n.*47.

10. Quæritur, quid dicendum sit de peccato philosophico? Respondeo. Quamvis secludamus omnem cognitionem Dei, tamen adhuc posset homo moraliter bene vel male agere; si nempe pro libertate humani arbitrii eligeret operari juxta, vel contra principia rectæ rationis. *n.*49. & 50. An aliquando detur, vel dari possit ignorantia, aut incogitantia invincibilis Dei, nihil attinet hic dicere. Sunt qui absolute negent, sunt qui affirment, saltem ad breve tempus. *n.*52. Moraliter loquendo fieri non potest ut homo, saltem qui aliquando Deum cognovit, committat peccatum, habens solam malitiam philosophicam: quia in tali homine est actualis, quamvis forte non ita perceptibilis, cogitatio de Deo, qualem de regulis artis suæ habent cytharizantes. *n.* 55. Inferes, si supponamus infidelem decedere in solis peccatis philosophicis, eum propter hæc non fore damnandum; sed nec futurum beatum, quia propter originale careret gratia; ideoque post toleratam pœnam temporalem peccatis philosophicis proportionatam futurum in eo statu in quo sunt infantes sine baptismo in originali decedentes *n.* 57. Propositio relata juste damnata est: quia non distinguit inter ignorantiam, & advertentiam vincibilem, aut invincibilem Dei, & de utraque æqualiter intelligi potest. Secundo quia absolute dicit, peccatum philosophicum non esse offensam Dei, cum semper sit offensa Dei saltem materialis. Unde si propositio sic limitaretur: peccatum philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat invincibiliter, vel de Deo actu non cogitat inculpabiliter, nequidem tenuiter, & remisse, est grave peccatum philosophicum, sed non est formalis offensa Dei, neque peccatum mortale theologice, dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. Si, inquam, sic limitaretur, esset longe alia propositio, nec mereretur censuram, uti constat ex dictis. *n.*58.

11. Delectatio de cogitatione mali potest esse bona. Sic potest quis delectari aspectu artificiosæ picturæ, quamvis res picta displiceat. Idem est de delectatione circa modum quo fit malum, uti si delecter de modo quo alius nasopronus cecidit in lutum, quo ebrius tremule incedit, quo mulieres rixantes se mutuo impetunt. Hæ enim delectationes per se loquendo non sunt peccata, uti cum communi Suar. Sanch. Ovied. *n.*78.

12.

12. Probabilius est quod delectatio de objecto, non tantum intrinsece malo, sed etiam malo extrinsece, fit peccatum mortale, aut veniale, prout objectum est graviter, vel leviter malum. S. Th. Suar. Sanch. Objicies. Actus inefficax, qualis est simplex delectatio, non desumit malitiam ab objecto: ergo delectatio circa objectum mortaliter malum, extra materiam veneream de qua est alia ratio, poterit esse venialis tantum. Ita Vasq. Merat. quorum sententiam probabilem dicit Comton. & Sporer dicit, etiam se valde propendere in eam; & Oviedo citat pro ea plures Auctores: nec videtur probabilitatem negare S. Thomas 1. 2. quæst. 74. art. 8. ubi ait: „ Quidam dixerunt, quod consensus „ in delectationem non est peccatum „ mortale, sed veniale tantum: a„ lii vero dixerunt, quod est pecca„ tum mortale; & hæc opinio est „ communior & verisimilior." Ergo S. Thomas agnoscit probabilitatem oppositæ: & consequenter Suarez nimium dixit asserendo, oppositam esse improbabilem, uti & Azor vocando temerariam. Respondeo. De hoc viderint Suar. & Azor. quod diximus, defendimus tamquam probabilius. *n.* 81.

13. Probabilius videtur quod delectatio de objecto semper intrinsece malo sub conditione, si liceret, si non esset malum &c. fit peccatum grave, vel leve, prout objectum in se est. Ita Adr. Azor. Laym. Suar. Sanch. Rhodes. Loth. Busemb. aliique multi contra Caj. Salas, Castr. Ovied. Carden. Bonæspei, Herincx. *n.* 82.

14. Circa illum qui se habet negative circa delectationem morosam, maxime veneream, si absit rationabilis causa, cur positive non resistatur, Auctores dividuntur in tres sententias. Valde communis sententia est, quod sit peccatum, si non resistatur positive saltem per actum simplicis displicentiæ. Vasq. Amit. Arri. Compt. Rhod. Platel. Busemb. & Oviedo dicunt, esse mortale, in hoc casu positive non resistere. Econtra Arsdekin dicit, probabile esse, non peccari mortaliter; notatque, idem dici a novem probatis Auctoribus. Alii multi cum Castrop. & cum Merat. dicunt, esse veniale tantum, non resistere positive. Denique Cajet. J. Sanch. Tamb. aliique multi apud hos, & apud Tann. dicunt, per se loquendo, nullam esse obligationem positive resistendi. Hæc ultima sententia, speculative loquendo videtur esse probabilior, in praxi tamen tenenda non est. Quia quando quis facile potest resistere positive, qui hoc omittit, convincitur, non illibenter habere hos motus. Recte tamen notat Bonæspei, si motus sint leves, melius esse contemnere sine positiva resistentia. *n.* 111.

15. Quæritur, an delectatio turpis possit ex parvitatem materiæ esse peccatum veniale tantum? Respondeo. Sententia concedens posse peccari tantum venialiter ratione parvitatis in materia venerea, est improbabilis.

Objicies. Plures quam viginti Auctores apud Mendo docent, in materia luxuriæ dari parvitatem materiæ. Idipsum docuit Sanch. Respondeo. Si intelligant materiam veneream & perfectam deliberationem ac consensum, non sunt audiendi; nec ideo faciunt veram probabilitatem, ne quidem extrinsecam, cum obstet auctoritas Pontificum; nec præcise numerus Auctorum facit sententiam absolute probabilem. Sanch. sententiam suam revocavit. *n.* 101.

16. Probabilius videtur quod actus malus physice unus tendens in plura numero objecta sint moraliter plura numero peccata in confessione explicanda, prout actus distincte, vel confuse in ea objecta tendebat. Ita

Vasq.

Vasq. Tann. Castrop. Rhod. Oviedo, Haun. Diana, Sporer, contra Suar. Bonac. & alios apud Mendo. *n.* 149.

Objicies. Est unum numero peccatum, si uno actu eidem furer tres ducatos, aut pannos: ergo etiam est unum numero peccatum, si uno actu detraham tribus. Ita Fill. Lugo, Tamb. Gobat. Stoz. Respondeo. An dicere debeas, talem actum esse tria numero peccata, an esse unum peccatum habens tres malitias, est quæstio de nomine. Potius dicendum est, esse tria numero peccata, quia peccatum nihil est nisi malitia. *n.* 150.

17. Si quis uno actu dubitet circa tres fidei articulos; vel neget, vel culpabiliter ignoret; Borgia docet, esse tria peccata. Sed contradicunt Oviedo, & Diana. *n.* 156. Si quis uno actu blasphemet in tribus materiis; v. g. dicendo, Deum esse injustum, infidelem, ignorantem; Oviedo, & Diana dicunt, esse unum peccatum; Borgia dicit, esse tria. *n.* 157. Si quis uno actu oderit tres homines; Dicastillo dicit, esse unum peccatum; sed alii melius dicunt, esse tria. *n.* 158. Si quis uno actu optet eidem quatuor diversa mala, v. g. paupertatem, infamiam, mortem, damnationem æternam; sunt quatuor peccata, etiam specie distincta, ut recte Mol. Suar. Con. Sylv. & alii, si advertat specificam diversitatem illorum malorum. Unde quando Dicast. dicit, oppositum esse probabile, intelligendus est, si optans non apprehendat illa ut specie distincta, sed tantum velut diversa numero. *n.* 159. Si quis uno actu uni detrahat, vel calumnietur in tribus diversis materiis, Bonac. Lug. Diana, Dicast. Bonæspei dicunt esse unum peccatum; sed Nav. Sylvius, Borgia probabilius dicunt, esse tria *n.* 161. Si quis uno actu eidem in eadem materia detrahat apud tres homines; multi dicunt, esse unum peccatum; sed tenendum est oppositum. *n.* 162. Si quis una deliberatione omnes omittat Horas; Toletus, & alii dicunt, esse tot peccata, quot Horæ omissæ sunt; sed Nav. Lug. & alii probabiliter dicunt esse unicum. *n.* 165.

18. An ille qui continuo tempore in mortali absolvit centum pœnitentes, centies peccet, non ita est certum. Negant aliqui cum Rodrig. & Lugo, Diana, Gobat, Stoz, Sporer dicunt, esse saltem probabile, quod tantum semel peccet. Sed dicendum est cum Bonac. Possev. Escob. Oviedo, Dicast. Borgia, Platel. toties peccare, quoties absolvit. *n.* 171.

19. Si voluntas (peccaminosa) fuerit retractata formaliter, & iterum resumatur, probabilius est, semper esse simul plura peccata, uti tenent Nav. Suarez, Bonac. Hurt. Rhod. Castrop. & Aversa dicit, hanc sententiam esse certam; quamvis contradicant Gran. Haunold. Gobat, Stoz, & aliqui recentiores. *n.* 174.

20. Peccat graviter, vel leviter, prout materia peccati fuerit gravis, vel levis, qui se exponit periculo formali, & certo peccandi formaliter, sive hoc periculum sit absolute, sive respective proximum, uti tenent omnes; nec contrarium esse Gobat, persuadere conatur Vindex illius. Sed quidquid senserit Gobat, parum refert. *n.* 256.

21. Peccat similiter graviter, vel leviter, qui se exponit formali quantumvis tantum probabili periculo peccandi formaliter, uti recte Eliz. Cardenas, & alii contra Caram. Murc. Lub. Hozes, Sporer, Gobat. *n.* 257.

22. Simili modo peccat qui se exponit formali periculo peccandi aliquo peccato indeterminate prævisio. V. g. scio me solere peccare vel per luxuriam, vel per detractionem, vel alio modo, quoties familiariter

ago

ago cum Titio; uti recte Lugo, Aversa, Herincx, Bosco, & alii communius contra Suar. Fill. Palav. *n.* 258.

23. Si quis nullo modo possit facere ut cum occasione externa non sit conjunctum periculum formale peccandi, dubium est, an sit obligatio eam occasionem externam deserendi etiam cum quocumque incommodo, quamvis deberet subire jacturam omnium bonorum fortunæ, famæ, & vitæ. Negant eum ad hoc teneri Auctores gravissimi, quos recensent & sequuntur Lugo, Sanch. Castrop. Tom. H. Fabri, Gobat, Burgaber, Palav. Vindex Gobat. E contra Cajet. Lop. Corrad. Grassi. Lorca, Tann. Cardenas, aliique apud Jo. Sanch. & apud Stoz, dicunt, non curanda esse talia incommoda, sed moralem impossibilitatem vincendam, ac vitanda talia pericula formalia etiam cum jactura omnium bonorum fortunæ, famæ, & vitæ, si aliter excludi non possint. Hæc secunda sententia admodum rigida est, attamen videtur vera; cujus probabilitatem agnoscit Bosco. *n.* 271.

24. Quamvis Gobat putet, absolvi posse quasdam puellas quæ non habent propositum, numquam amplius admittendi procum secum in lectum, eamque propositionem pro plebeis rusticanis in Germania conetur defendere Vindex Gobatianus; tamen hoc prorsus rejiciendum est. *n.* 281.

25. Quod dictum est de periculis mortalium applicari debet periculis venialium. Unde quamvis Con. Layman. Tamb. Palav. Semery dicant, ad remissionem venialium non requiri propositum vitandi occasiones illorum proximas, tamen oppositum est tenendum. *n.* 283.

26. Si supponamus, quod singulæ Horæ Breviarii seorsim præcipiantur, ideoque toties peccetur mortaliter, quot Horæ omittuntur, uti dicunt Less. & alii; in hac sententia putant aliqui cum Gobat, probabile esse, non fore mortale, si quis in singulis Horis omitteret duos Psalmos cum Hymno, quamvis eodem die omittat saltem quatuordecem Psalmos & octo Hymnos: quia secundum hos Auctores illæ partes omissæ pertinent ad diversas Horas: ergo non unirentur in ordine ad unam materiam constituendam. Econtra tamen in sententia Navarri, Sylv. Lug. Stoz, Tamb. quod omnes Horæ præcipiantur tamquam partes unius integri Officii, quod probabilius dicitur; qui per totum officium tam multum omittit, ac est integra Hora, peccat mortaliter. *n.* 296.

27. Burghaber recte dicit, si mercator doleat, homines non emere potius apud se quam apud alium, esse æmulationem licitam. *n.* 305.

28. Quæritur, an comedere sine necessitate pertineat ad vitium? Negant Major, & J. Sanch. Sed dicendum est esse. *n.* 309.

29. Quæritur, an licitum sit intendere delectationem quæ capitur ex cibo & potu moderato? Respondeo. Major, J. Sanch. Bass. & alii cum Moya affirmant velut probabile: quia talis delectatio secundum dicta non est mala. Econtra damnatio propositionis 8. ab Innocentio XI. facta reddit opinionem illam difficilem: *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*. Pro explicatione sit. Si quis comedat cibum necessarium propter voluptatem referendo hanc voluptatem ad comestionem & utilem digestionem, in hoc nihil est peccati, sed omnino ordinate agimus; neque verum est quod tum comedamus propter solam voluptatem, aut propter voluptatem tamquam finem ultimum. *n.* 310. 312.

30. Licere se inebriare ex præscripto

pto Medici ad recuperandam sanitatem, si desit aliud medium, docent Auctores *n.* 219. citati. Item Sylv. Ledesm. Nav. Tol. Sa, Armilla, Tann. Dian. Bonac. Naldus, March. Alv. Regin. Bald. Steph. J. Pontius, Illsung. Sed huic doctrinæ repugnant alii cum Mendo, putantes, ebrietatem esse intrinsece malam. Et huic sententiæ favet Augustinus serm. 232. de temp. *Etiam si ad hoc veniretur ut tibi diceretur: aut bibas, aut morieris: melius erat ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.* Putat quidem Vindex Gobatianus, rationes allatas facile solvi. Quod autem S. August. attinet; dicunt Less. Dicast. & Illsung, illum loqui de casu, quo in contemptum religionis, vel virtutis bibendum esset. Verum S. August. ob probabilitatem contrariæ sententiæ suadere, potius mortem esse oppetendam quam causandam privationem rationis. *n.* 322.

IV.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

1. SEnsus propositionis damnatæ, *Ab infidelitate excusatur infidelis non credens ductus opinione minus probabili*, videtur esse hic, quod infidelis, qui non credit, dum habet majorem probabilitatem pro fide nostra, ideo non excusetur, quia est in ignorantia vincibili circa fidem nostram, & ex culpa sua caret certitudine requisita ad credendum, eo quod non adhibeat diligentiam in inquirendo. Itaque talis infidelis non tenetur determinate ad credendum, nec ideo præcise peccat, quod quamdiu habet majorem tantum credibilitatem, hoc ipso statim non credat. *n.* 48.

2. Probabilius est, præceptum fidei non obligare per se omni die festo, uti volunt aliqui; neque illis festis, quibus aliqua fidei mysteria celebrantur, uti alii volunt, quorum opinionem Oviedo dicit passim rejici. *n.* 51.

3. An pro dissimulanda fide licitum sit uti verbis ambiguis, non conveniunt Auctores. Negant Veriuys, & Arsdek. Oppositum tenent Sanch. Azor. Bonac. Nav. Con. Suar. Laym. Fill. Tom. Marchant. Sangall. Reiffenst. cum Castrop. qui dicunt, ex gravi causa licere hic uti verbis ambiguis seu æquivocis, ac etiam restrictione non pure mentali, supponendo semper, quod non ideo subtrahatur debitus Deo honor, nec detur scandalum proximo. *n.* 61.

4. Lessius docet, non licere deferre infantem ad ministrum acatholicum, ut ab hoc baptizetur. Sed in hoc attendenda est consuetudo patriæ. Unde Lugo dicit, ob necessitatem gravem excusari posse, cooperationem ad petendum baptismum ab hæretico, quæ necessitas ad minus debet esse tanta, quanta sufficeret ut posset peti a laico. *num.* 66.

5. Etiam licitum est, honoris vel amicitiæ causa interesse matrimonio acatholicorum contrahendo coram catholico ministro, uti habent Mald. Con. Hurt. Lugo, Steph. Lessius quidem ait, non licere adire convivium nuptiale hæreticorum, aut munera dare ad gaudendum de conjunctione, eo quod sit irrita. Sed ista ratio Lessii non tenet ubique, ubi Tridentinum non est receptum. *num.* 67.

6. An Princeps possit non baptizatos directe cogere ad fidem, dubium est. Negant S. Th. Suar. Castrop. aliique communius. Affirmant tamen non improbabiliter saltem de aliis infidelibus (non Judæis) Scotus & Scotistæ cum Herinx. quia Princeps potest adigere ad ea servanda ad quæ jure divino, & naturæ tenentur. *num.* 79.

7. Posse Principem infidelem privari dominio proprietatis in fideles ve-

veluti servos, idque ob honorem fidei, quamvis abesset periculum perversionis, docent S. Th. Bann. Lorc. & alii. Negant Nav. Covarr. Suar. & alii communiter. *num.* 81.

8. Gobat, & Veriuys recte probant, matrimonia personæ hereticæ cum catholica regulariter esse illicita. Nihilominus Sanch. Azor. Veriuys, Less. putant, tum licere 1. Si absit periculum perversionis. 2. Si detur libertas educandi proles catholice. 3. Si non facile sit invenire parem & convenientem inter Catholicos. 4. dummodo hæreticus non sit vitandus. 5. Si sit consuetudo ibi, ita ut absit scandalum. Et horum unum si desit, non licebit; hæc omnia autem vix concurrent. *num.* 95. Quando reliquæ conditiones absunt, quamvis adsit aliquod periculum perversionis, si tamen non sit proximum, licebit tale matrimonium ex gravi causa, uti tenent Lugo, Arsdek. aliique contra Sanch. & Pont. non opus esse dispensatione, si pars hæretica promittat conversionem, credaturque id serio facere. Immo putat Hurt. sufficere spem conversionis ortam ex ipsius indole, vel aliunde; sed contradicunt Lugo & Arsdek. *n.* 97.

9. Catholico Parocho licitum est benedicere nuptias personæ catholicæ cum acatolica; uti recte Lugo, & Arsdek. contra Sanch. *num.* 99.

10. Si quis famulans hæretico impediatur in observatione præceptorum Ecclesiæ; v. g. quia debet carnes diebus vetitis comedere, festis laborare serviliter, negligere Missam &c. servitium est illicitum, nisi excuset notabile incommodum, uti recte Nav. Bonac. Sanch. Suar. Laym. & alii communiter. Tum autem esset grave damnum; si non posset invenire dominum catholicum, a quo acciperet ultra dimidium illius quod ad hæretico accepit. Si tamen a catholico tantum accipere posset, v. g. sex florenos, & ab hæretico septem, non esset notabile damnum. Quod si quatuor tantum accepturus esset a Catholico, videtur respectu ipsius notabile damnum, nisi aliunde haberet quo ordinariis suis necessitatibus provideret. *num.* 103.

11. Scot. Ang. Almai. Gab. Tab. & alii dicunt, præceptum caritatis obligare omni die festivo. Econtra Castrop. aliique communiter id negant. S. Anton. S. Bonav. Cajet. aliique undecim gravissimi auctores cum Carden. dicunt, obligare, si quis inciderit in mortale, & non possit, vel velit suscipere Sacramentum pœnitentiæ; idque statim, quamprimum post peccatum occurrit cogitatio peccati. Sanch. Bonac. & Alloz. & alii dicunt hoc præceptum obligare quando quis vult Eucharistiam sumere. Castrop. post rejectas sententias hactenus relatas subdit cum Suar. & Con. esse obligationem sæpius diligendi Deum quam singulis trienniis semel. Ledesm. Hurt. Arr. Illsung, aliique cum Mendo dicunt, esse obligationem saltem semel singulis annis. Cardenas dicit, esse obligationem frequenter diligendi, ita ut videatur ipsi morale, si quis ultra unum mensem integrum differat. Itaque cum in tanta sententiarum varietate (N.B.) nesciamus, quando & quoties sit diligendus Deus, arripiamus tutiora, tum ut sic assuescamus dilectioni Dei, tum ut certo satisfiat præcepto. *A num.* 133. *ad* 141.

12. Satisfit huic præcepto, quamvis amor Dei eliciatur in ordine ad alia præcepta implenda, aut ad aliam virtutem exercendam, v. g. si quis eliciat, quia vult confiteri, vel ut vincat tentationem. *num.* 142.

13. Ut amor Dei sit perfectus, debet voluntas serio & efficaciter sic esse constituta, ut quamvis nec cælum esset, nec infernus, nec præmium ullum sperandum, nec pœna ulla timenda a Deo, tamen amaretur Deus propter se, quia in se summe bonus. *num.* 152.

14. Quæ-

14. Quæritur, quomodo practice elici possit actus caritatis? Respondeo hoc modo: Amo te, mi Deus, quia es omne bonum in teipso. Ex hoc amore amo meipsum, sed semper propter te: quia tu infinite bonus hoc vis, & tibi hoc placet: quia tibi bonum est quod ita agnoscaris, ameris, lauderis. *num.* 155.

V.

DE CARITATE ERGA PROXIMUM.

1. Licitum est desiderare, vel gaudere de morte proximi propter magnum bonum spirituale ipsiusmet proximi. Ita Carden. *num.* 184.

2. Licitum est desiderare, vel gaudere de morte proximi ob ingens bonum etiam temporale communitatis & Ecclesiæ, quod alias haberi non posset. *num.* 185.

3. Manet probabilis sententia quam post S. Thomam tenent auctores gravissimi, quos citant & sequuntur Mendo, Arsdek. Carden. Moya: nempe quod homo possit desiderare mortem proximo ad vitandum aliquod ingens malum sibi, vel alteri proximo impendens, quod aliter vitari non potest. Sicuti aliquis sibi licite optat mortem, ut evadat ingens malum spirituale, vel temporale. Ratio est, quia illud gaudium vel desiderium directe, & immediate fertur in solum bonum suum & proximi, ita ut mors, quatenus proximo est mala, nullo modo sit objectum illorum actuum. Atque ideo S. Thomas in 3. dist. 30. quæst. 1. ar. 1. ad 4. sic habeat: *Potest aliquis salva caritate optare malum temporale alicui, & gaudere, si contingit, non inquantum est malum illius, sed inquantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere.* Sed hoc non est per se de malo gaudere, sed de bono, quod adjunctum est malo. *num.* 186.

4. Si allocutio, vel ostensio benevolentiæ non sit debita, & tamen prævideas, ex illa futurum ut inimicus odium deponat, teneris alloqui, si sine multa animi difficultate possis. Si autem notabilem difficultatem patereris, non teneris. Suar. Con. Castrop. Tamb. Burgh. *num.* 192.

5. Dubium est, quid dicatur superfluum Statui. Cajet. Nav. Vasq. putarunt, hoc solum esse superfluum quod non requiritur ad statum neque præsentem servandum, neque futurum obtinendum, quem quis licite & digne potest quærere. Sed hæc sententia rejicienda est. Alii dicunt, illud esse superfluum quod necessarium non est ad statum neque præsentem, neque futurum, quem aliquis probabiliter & proxime sperat. Et hæc sententia probabilis est. Alii plures cum Arsdek. dicunt, hoc esse superfluum quod ad statum præsentem satis commode ducendum non est necessarium, nulla status futuri habita ratione. Et hos dicimus habere superflua. *num.* 199.

6. Si quis sit in extrema necessitate, v.g. ratione morbi, teneris etiam aliqua statui tuo convenientia expendere ut ei succurras. Ita Con. & Tamb. contra aliquos apud Moyam, qui dixerunt, non esse obligationem etiam in extrema necessitate dandi ex necessaris ad statum, quam sententiam Bannez vocat inhumanam, Valent. Gran. & Hurt. improbabilem. Manet tamen dubium, an tenearis, si per hoc e statu tuo caderes. Nam te in his circumstantiis non teneri docent auctores gravissimi, quorum sententiam Moya sequitur vocans probabilissimam. Hinc putat Tamb. sententiam esse probabilem, nempe quod numquam sit obligatio ita extraordinario modo sibi vel alteri succurrendi. *num.* 201.

7. Quamvis Societatis auctores communiter doceant, divites teneri in communi necessitate dare eleemosynas ex superfluis; hanc tamen obligationem negant alii viri gravissimi,

Sylv. Alens. Arm. Palud. Gabr. S. Anton. Sot. Nav. Molf. Fernand. Victor. F. Medina, Covar. quos refert & sequitur Diana. *num.* 202.

8. Quæritur, an aliquis teneatur corrigere proximum qui mortaliter peccavit, si non sit periculum, ut relabatur. Affirmant Bann. Valent. Bonac. & alii: quia existens in mortali est in maxima miseria. Ergo si commode possum, teneor sublevare & per correctionem movere ad pœnitentiam. Negant Regin. Sot. Lorc. Sa, Con. Torr. & alii cum Castrop. Utraque sententia est probabilis; sed prima videtur conformior præcepto caritatis. *num.* 209.

9. Quæritur, an semper sit obligatio gravis corripiendi proximum, si alias putetur in peccato moriturus? Bannez, Valent. Bonac. & alii communius affirmant, esse talem obligationem, etiam cum periculo vitæ propriæ. Tamen Lorc. aliique cum Castrop. dicunt, cum periculo vitæ propriæ non esse talem obligationem. *num.* 211.

10. Quæritur, an sit obligatio corripiendi eum qui ex ignorantia peccat? Si ignorantia sit invincibilis, Bonac. absolute docet, non esse obligationem, sive sit ignorantia juris, sive facti; nisi ex officio alicui incumbat monere, vel instruere: item nisi inde oriatur damnum tertii, aut scandalum, aut irreverentia in Deum. Alii distingunt: si quis peccet ex ignorantia juris humani, docet Ovied. cum Bann. Nav. Valent. & aliis, non esse obligationem corripiendi. Sed his omnibus probabilius contradicunt Con. Sanch. Castrop. & alii cum Burgh. dicentes, esse obligationem corripiendi peccantem ex quacumque ignorantia. *num.* 214.

11. Quæritur, an & quando sit obligatio denuntiandi vel deferendi aliquem? Respondeo. Est obligatio gravis sub pœna excommunicationis hæreticos denuntiandi apud Inquisitores fidei, uti constat ex variis Bullis Pontificum & Decretis Juris canonici; quam obligationem & pœnas innovat Alex. VII. per Bullam, *Licet alias*. Idem Alexander damnavit hanc propositionem. *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis*. Ex qua damnatione certum est, ubi Bullæ illæ usu receptæ sunt, esse absolute obligationem denuntiandi. Dixi *ubi usu receptæ sunt:* nam plures viri prudentes & eximie docti censent, in his partibus non esse usu receptas quoad punctum denuntiationis. *num.* 215.

12. Est obligatio denuntiandi Sacerdotem qui in confessione vel occasione confessionis solicitat feminam, vel masculum ad peccatum carnis, uti statuit Gregorius XV. & Alexander VII. putant autem iidem viri docti, idem dicendum esse de obligatione hos denuntiandi, quod dictum est de denuntiatione hæreticorum; at testatur Gobat, decreta illa in plerisque Episcopatibus Germaniæ non esse usu recepta; additque, tantum promulgari regularibus; hos autem se posse accommodare moribus sæcularium quoad leges utrique statui communes; ideoque si sæculares non obligent defectu promulgationis, etiam non obligare religiosos. *num.* 216.

13. Quæritur, an sit peccatum scandali, suadere minus peccatum scandali illi qui facturus est alioquin majus? Plures sunt sententiæ. Valentia, & Sa apud Mendo videntur absolute dicere, esse peccatum scandali, quia minus peccatum est peccatum. Laym. Dicast. Arr. Mendo, aliique cum Gobat distinguunt, & dicunt, licere, si minus includatur in majori, sicuti fornicatio in adulterio, vulneratio in occisione, furtum centenorum millenorum. Econtra si illud minus quod suadetur, sit plane diversum, dicunt esse illicitum. Sanchez,

chez, citans alios gravissimos auctores, Stephanus, Cardenas, absolute dicunt, licitum esse suadere minus, quamvis sit diversum; pro qua sententia alios plures citant Mendo, Castrop. Gobat vocans practice probabilem, Diana vocans etiam probabilem. Omnes hæ sententiæ sunt probabiles; & sententia Laymanni videtur probabilior, ad quem accedit sententia Castropalai (id concedentis, si ille qui paratus est facere majus malum, simul cogitet facere minus.) Nihilominus sententia Sanchez etiam est probabilis. *num.* 222.

14. Quæritur, an ergo etiam sine periculo scandali sit licitum aliquem inducere ad ebrietatem, ut sic impediatur aliud majus peccatum?

Respondeo. Secundum Laymann. & alios hoc est illicitum: quia numquam licet inducere ad actionem quæ intrinsece mala est. Econtra secundum Sanch. & alios, & expresse secundum Lessium, cujus sententiam Diana, Mendo, Gobat, & alii censent probabilem, & licitam. *num.* 224.

15. Si fur esset determinatus ad furandum vel multum a Petro, vel parum a Paulo, sed indeterminatus, a quo furetur, docet Pontius apud Dian. & post Vasquez Tambur. te non peccare, nec teneri restituere, si suadeas, ut Paulo furetur minus, sic impediendo, ne Petro furetur majus. Sed communis sententia est fere omnium cum Sanchez, non licere consulere inferre minus malum inferendum alteri personæ. *num.* 225.

16. Quæritur, an nonnumquam sit mortale inducere aliquem ad veniale?

Respondeo. Ordinarie non est mortale, licet quis etiam vi, vel fraude inducat, directe intendens hoc spirituale ejus damnum. Ita Sanchez, Arr. Lugo, Haunoldus, Bonæspei, aliique communiter contra Vasquez, Con. Plat. & alios. *num.* 232.

17. Quæritur, quid de turpibus comædiis sit sentiendum?

Respondeo. Quamvis nonnulli Auctores eos damnent venialis tantum, qui ejusmodi comædiis intersunt, tantum quærentes delectationem ex repræsentatione & modo agendi, non autem ex re repræsentata; tamen dicendum, eos peccare mortaliter. *n.* 238. Peccant mortaliter non tantum primi spectatores, vel auditores, qui sunt causa determinativa, ut agatur comædia, sed etiam alii qui superveniunt, & sine quibus adhuc ageretur, uti contra Baldel. Turrin. Ferrant. Bardi, & Vivaldum docent alii. *n.* 239.

18. Dubitat Cardenas, an talis cooperatio (famuli proxime cooperantis ad peccatum v. g. aperiendo januam) licita foret illi famulo, si ab hero timeret gravissimum malum, v. g. lethale vulnus? Illsung putat excusandum a mortali; sed probabilius est, non excusandum. *n.* 254.

19. Qui sine justa causa vinum vendunt illis quos probabiliter putant se inebriaturos, peccant mortaliter. Causa autem sufficiens, per se loquendo, non videtur esse lucrum, quo carerent non vendito illo vino. Causas tamen justas promendi vinum etiam se inebriaturis dicunt Sanch. & Castrop. esse, si alioquin esset afficiendus non tantum contumeliis, sed etiam gravibus molestiis. Item si notabiliter minuendus esset affluxus hospitum. Et ita docent gravissimi Auctores relati in vindiciis Gobatianis. *n.* 261.

20. Tamburinus addit, amicum posse apponere amico cœnam urbanitatis causa etiam die jejunii. Addit Illsung, eum in civitate catholica non peccare, qui die vetito apponit carnes alicui, qui nihilominus eas alibi erat certo comesturus; atque pro ea sententia citat Navarrum, Lessium, Sanchez, Laymann. contra Castrop. *n.* 256.

21. Si

21. Si adsit justa causa, licitum est petere juramentum ab eo quem putas pejeraturum. Ita cum aliis Suarez, Diana, Tamb. contra Sot. Vasquez, Sylvest. & alios. Quod si scias, alterum determinatum esse ad non jurandum aliter quam falso, Bonac. Castrop. & alii dicunt, non licere petere. *n.* 266.

22. Peccas, si extra necessitatem, vel utilitatem magnam petas ab excommunicato tolerato ut tibi sacramenta ministret. Ita Suar. & alii contra Sanch. Hurt. & Tamb. *n.* 272.

23. Christianos captivos, qui simul cum Turcis ad littora Christianorum adventant, posse cum dominis infidelibus cooperari ad rapinas, & incendia ob vitandam mortem sibi alias imminentem, docent Lorca, Diana, Castrop. & alii apud Mendo. *n.* 277.

VI.

DE DECALOGO.

1. NON est peccatum, saltem mortale, per Astrologiam velle cognoscere aliquod contingens liberum, judicando illam cognitionem esse incertam & tantum conjecturalem. Ita Cajetan. Tol. Val. Castrop. Tambur. contra Sanchez, & alios. Ratio est, quia astra revera inclinant. Nec refert quod Sixtus quintus videatur hoc prohibuisse. Nam Suarez, aliique cum Sporer dicunt, eam prohibitionem restringi ad solum forum externum ob præsumptionem divinationis internæ. Quod si ad conjecturam ex astris etiam accederet ratio ex temperamento personæ, aut ex consuetudine vivendi, aut alia simili circumstantia, non esset divinatio, etiam probabiliter talia prædicere: unde & se regulans secundum talem prædictionem, dummodo non haberet certam credulitatem, excusaretur saltem a mortali, uti cum Tamb. censet Arsdek. *Lib.* III. *n.* 9.

2. Similiter Leander, & Tambur. apud Gobat negat te peccare mortaliter, si pauculas actiones modereris secundum prædictionem Astrologi, v. g. si navem non conscendas eo die quo prædixit, te submergendum. *n.* 10.

3. Credere somniis non est mortale, quando quis non omnino credit, rem in somno ostensam, esse veram, seu futuram, sed tantum propter tale somnium aliquid de se non malum operatur, ut evitet malum quod somnium minatur. Tunc enim, quamvis sit aliqua levitas, vel simplicitas, aut nimia timiditas, tamen non apparet gravis malitia: quia non tam credit illud esse a Deo, aut ideo esse verum, quam posse aliunde esse verum. Ita Suarez. *n.* 10.

4. Si quis mediis vanis utatur joci causa, aut experiatur quid casu accidat, aut quid tale signum designet, credens totum esse futile & inane, Valent. Suarez, Sanch. Bonac. Delr. Gobat, & alii putant, non esse nisi veniale ob imperfectionem actus. Sed Castropalao merito dicit, raro excusari posse a mortali. *n.* 11.

5. Si Cajus det pecuniam Titio, ut Titius intercedat apud Sempronium, ut Sempronius intercedat apud collatorem pro beneficio, conferendo Cajo; aliqui apud Dianam, & iterum alii censent, non esse Simoniam; sed longe plures, quos citant & sequuntur Castropalao, Steph. Arsdek. Raynald. Mendo, longe probabilius affirmant, esse: quæ sententia omnino tenenda est. *n.* 90.

6. Simonia est, si des pecuniam, aut etiam aliud beneficium, ut alii competitores desistant jus suum prosequi in hoc beneficio, aut ut non opponant causas, seu justas prætensio-

ſiones. Ita S. Th. Suarez, Leſſius, Barb. Caſtrop. Beja, Engel, Baun. contra Paſqual. item contra Pontium. *n.* 142.

7. Si pretium petatur tantum pro obligatione faciendi aliquid ſpirituale, v. g. non pro ipſa miniſtratione ſacramenti, ſed pro obligatione miniſtrandi, Cajet. Vaſq. Leſs. Laym. Bonac. Alloz. putant, non eſſe Simoniam. Conſentit Eſcob. ſi onera corporalia, vel moleſtiæ ſint illi obligationi accidentaliter annexæ; ſed S. Th. Suar. & Caſtrop. aliique merito id dicunt eſſe Simoniam. *num.* 162.

8. In Simonia dari parvitatem materiæ affirmat Alloz. Mol. Reginald. Merol. Gord. Sed oppoſitum dicit eſſe certum Haunol. ideoque communiter Auctores negant in Simonia parvitatem materiæ Suarez, Sanchez, Illſung. Quod verum eſt de Simonia juris naturalis. *n.* 198.

9. Pœnas juris incurri per Simoniam juris eccleſiaſtici tantum, Suarez, Rayn. Pirh. aliique communius & probabilius affirmant; econtra Nav. Leſſius, Sanch. Diana, aliique cum Caſtrop. etiam probabiliter negant. *n.* 313.

10. Peccare eum qui ebrium, vel ſtultum puerum rationis uſu carentem inducit ad blasphemandum, affirmat Caramuel: unde audiendus non eſt Gobat, qui a peccato excuſat talem inducentem. *n.* 255.

11. Reſtrictio pure mentalis non excuſat a mendacio, vel perjurio. Ita multi apud Dicaſt. licet ipſe contradicat. Sed videtur manifeſte ſequi ex damnatione propoſitionis. *n.* 285.

12. Eum qui ficte juravit, reipſa obligari, negant Buſemb. Sanch. Caſtr. & cum aliis plurimis Dicaſt. Econtra S. Th. Valent. Cajet. Sot Cov. Suar. aliique affirmant. *n.* 321.

13. Si quis directe voviſſet, aliquo die non comedere carnes, fatentur omnes communiter cum Diana contra Paſqualigo, toties peccari, quoties caro comederetur. *n.* 438.

14. Si quis in juventute voverit, certis diebus jejunare, probabile cenſent Sanch. Fagund. Dian. Tamb. ſi ad annos ſexaginta perveniret, non amplius teneri *n.* 439.

15. An votum caſtitatis, aut religionis obliget, ſi ille qui vovit, ſit ita proclivis in luxuriam, ut ipſi ſalubrius videatur inire matrimonium? Non obligare putant Ledeſm. Bonac. & alii apud Moyam, qui vocat ſententiam illam valde probabilem, idque tenent plures, etiamſi illa fragilitas ſuperveniſſet poſt emiſſum votum. Non audeo ſententiam illam dicere abſolute probabilem. Hinc tenenda eſt oppoſita cum Sanch. Caſtrop. Moya, & aliis. *n.* 481.

16. Ut materia voti propria auctoritate commutari poſſit in aliam tantum probabiliter meliorem, requirunt Suar. Sanch. & Caſtrop. certitudinem, quod ad minimum ſit æqualis. Sed Illſung id non requirit, dicens: uti ſecundum probabilem ſententiam alia præcepta ad plus non obligant quam ut eis probabiliter ſatisfaciam ſecundum dicta l. 1. n. 600. ita & hic eſſe. *n.* 523.

17. Si commutatio voti fiat in minus a non habente poteſtatem diſpenſandi, Sanch. Dian. Tamb. Belleg. dicunt, eſſe probabile quod valeat; ſed remanere obligationem ſupplendi id quod deeſt ad æqualitatem. Econtra Suarez, Nav. Azor. Caſtrop. Illſung, aliique multi probabilius dicunt, quod commutatio ſine ulla cauſa in aliquid minus ſit invalida. *n.* 526.

18. Dubitatur an laborem ſervilem die feſto excuſet voluntas vitandi otii? Negant Sar. Comit, & alii. Econtra a mortali excuſat Sa, Sylv. aliique cum Burgh. *n.* 586.

19. Quomodo aliquis ratione temporis excuſetur a mortali quoad laborem die feſto? Azor, Bonac. Regin.

gin. putant, esse mortale, laborare ad horam. Fagund. adjicit medium, vel ad summum, integrum quadrantem. Castrop. & Trull. ponunt duas horas. Aliqui Canonistæ requirunt tertiam partem diei. Sed communiter ab omnibus exploduntur. Non esse mortale, per duas horas laborare, est jam recepta nostra ætate sententia, inquit Tamb. Assentiuntur Gran. & Illsung. Sanchez dicit, minus quam duas horas non sufficere ad mortale; testaturque, juniores Theologos plusquam duas requirere. Filliuc. March. & Gobat requirunt tres horas; sed communior nunc & probabilior est sententia, si saltem multum ultra duas horas laboretur, fore mortale. *n.* 594.

20. Omnis Sacerdos, si alius celebraturus desit, tenetur ipsemet celebrare, ut Missam audiat. Ita cum aliis Gobat, Steph. contra Fagund. *n.* 614.

21. Circa ætatem qua pueri obligentur ad Missam, J. March. putat, tunc obligari, quando incipiunt idonei esse ad communionem. Sot. putat, neminem ante annum duodecimum teneri legibus Ecclesiæ. Sed istæ sententiæ passim rejiciuntur. Azor, Sanch. Bonac. Tann. Bass. & alii absolute obligant circa finem septennii. Gobat cum Con. contendit, pueros rusticanos inter 9. & 10. annum, puellas vero inter 8. & 9. communiter primum assequi plenam discretionem, qua habita obligentur præceptis Ecclesiæ. *n.* 615.

22. Clericus in majori Ordine constitutus graviter peccat, si occidat bannitum, est communis contra Riccium. *n.* 793.

23. Quamvis secundum propositionem 17. ab Alexan. VII. damnatam sit certum, illicitum esse Religioso, vel Clerico eum occidere qui alioquin certo, & proxime illaturus est calumniam; tamen Haun. Mendo, aliique docent, id licere laicis sæcularibus, quod Molina, Lessius, Bonacina, aliique cum Lugo dicunt, esse probabile. Hæc sententia videtur amisisse probabilitatem propter propos. 30. ab Innocentio XI. damnatam. Hinc absolute tenendum est cum Bonæspei, & Carden. numquam etiam laico licitum esse, occidere aliquem, eo quod invadat præcise famam vel honorem. *n.* 800.

24. Non licet occidere accusatorem, testem, vel judicem, qui certo & proxime parat calumniam, si aliter impediri non possit. Quinam autem docuerint, licere occidere falsum accusatorem, testem, judicem, videri potest apud Moyam tract. 6. dist. 3. quæst. 1. §. 1. *Ita La-croix Lib.* 3. *num.* 801. *Moya vero, ad quem remittit, in nova Editione Coloniensi* 1701. *sic scribit.* Pro parte affirmativa respondet Bannez. si ille, qui vadit ad judicem, ut imponat falsum testimonium, propter quod erit occidendus, vel infamandus, vel amissurus bona temporalia, fuerit admonitus, & nolit retrocedere, poterit is qui injuriam patitur, occidere illum defendendo se, vel sua, si aliter non potest. Sic Bannez, cujus sententiam amplectitur M. Serra; & consentit Paulus de Blanchis ex eodem ordine. Hanc sententiam, licet contrariam sequatur, probabilem putat M. Petrus de Ledesma. Eandem opinionem non solum quoad accusatorem, sed etiam quoad testes defendit M. de Blanchis. Idem sentit Joan. Franc. Suarez in Enchiridio, cui consonat Stroverdorf. Addunt alii, idem prorsus dicendum de accusatore, licet crimen sit verum, si tamen occultum sit. Ita M. de Bannez, quem sequitur M de Blanchis, quibus consonat M. Serra. Quorum sententiam aliis pro illa citatis dicit esse verissimam Fr. Leander de Murcia. Ceterum quod de falso accusatore & falsis testibus dictum est, de judice iniquo contra innocentem

injuste

injuste procedente dicendum esse putat probabile Pet. de Nav. qui ait: Cajetanus videtur idem dicere. Ego finiendam putarem hanc controversiam hac distinctione. Occidere prædictas personas publice non licet; privatim atque occulte liceret. Immo addunt Patres Magistri, idem prorsus dicendum, licet judex innocentem secundum allegata & probata juste condemnet. Ita M. de Lacrux ejusdem instituti cum aliis. (*Victoria, & Bannez, quos de La-crux pro se citat.*) Quibus adde plures, quorum sententiam referens verissimam censet Vilalobos, quamvis in praxi asserat non sequendam. (*Ab eo citatur de Penna de Puteo, Hypolito, Victoria, Bannez, Ledesma, Orellana.*) Contraria omnino tenenda est, & præfatam sententiam practice improbabilem pronuntiare debemus. Quapropter Alexander VII. hanc ut scandalosam damnavit. *Ita Moya.*

25. Sanchez citans alios docet, licitam esse etiam directam expulsionem fetus animati, propter quem alioquin moritura esset mater. Hæc sententia a multis judicatur probabilis, opposita tamen est absolute tenenda: quia alias pro salvanda vita etiam licitum esset directe procurare pollutionem, quod omnes negant. *n.* 825.

26. Sot. Azor, & aliis cum Burgh. putant, aliquem juste posse defendere suam vitam contra alium juste aggredientem. Sed Molina merito dubitat de veritate hujus sententiæ. *n.* 870.

27. Ut liceat compensatio occulta, requiritur ut debitum sit certum; nec sufficit ut probabiliter tantum putes tibi deberi, ut docent communissime omnes cum Cardenas contra J. Sanchez, cui favet Lugo, quamvis suspendat judicium. *n.* 962.

28. Si famulus, vel alius operarius propter paupertatem coactus sit pacisci pro inæquali stipendio, putat Pourre, posse occulte compensare sibi. Sed oppositum est omnino tenendum. *n.* 975.

Hucusque Catalogus opinionum probabilium circa generalia morum principia ex P. La-croix. Ex hoc autem nemo, vel parum attentus, non videt, conclusiones, phrases, responsiones, explicationes, ac citationes Probabilistarum esse versatiles, & idoneas ad terribilem corruptionem legum, ac morum in praxi, si licitum fuerit sequi sententias notabiliter minus probabiles: vix enim erit sententia, etiam rejecta a P. La-croix, quae spectatis ejus principiis superius §. 2. de Conscientia ex P. La-croix relatis num. 7. 9. 11. 14. &c. non possit operanti videri saltem ut tenuiter, vel dubie probabilis.

Hactenus R. P. EUSEBIUS AMORT loc. cit.

EPISTOLA IX.

ARGUMENTUM.

Hic P. Concina ad conflandam invidiam Jesuitis, fingit se ab iis suæ vitæ timere. Quod etiam putido artificio finxit in quadam sua Præfatione Eusebius Eranistes. Sed hujusmodi simulationibus ita respondet Turnus Æneid. XI.

„ Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit,
„ Artificis scelus, & formidine crimen acerbat,
„ Numquam animam talem dextra hac (absiste moveri)
„ Amittes: habitet tecum, & sit pectore in isto.

P. Carolus Nocetius in antithetis ad Epist. 2. P. Dinellii pag. 11.

Rursus pag. 28. *P. Concina, qui magnam partem suæ Theologiæ desumpsit ex Auctoribus Transalpinis.*

Et iterum pag. 82. *Et multo minus (erumpat tandem vera vox) volumus introducere in Italiam Rigorismum quorumdam Transalpinorum.*

I. PLuries rescriptum argumentum legi, relegique, & nihilominus me hallucinari pertimescebam. Quid? mecum ipse colloquebar. Fieri ne potest, ut P. Carolus Nocetius vir prudens, doctusque Theologus hanc movere camarinam ausus fuerit? Non me latet, alios ejusdem Socios pro gloria inclytæ Societatis veluti pro aris, & focis dimicantes, ea evulgasse, quæ Sociorum splendorem obnubilant. Exemplum novissimum, ut plura prætermittam, universæ Reipublicæ litterariæ perhibuit alter Socius *P. Bala* Epist. 1. adversus celeberrimum Eusebium Eranistem, in qua Ven. Cardinalis Bellarmini epistolam, quasi sepultam in apricum traduxit adversus Dominicanos scriptam tanta acerbitate, & tot improperiis plenam, ut sublatis etiam aliis *obstativis*, hæc sola obstaculum interponere tanti Cardinalis Beatificationi ineluctabile, idem Eusebius Eranistes demonstrarit tom. 6. Epist. pag. 225. ubi quoque imprudentiam P. Bala in hac objicienda Bellarminiana Epistola patefacit. At tanta animo meo insidet erga P. Carolum Nocetium existimatio, ut induci nullo modo possem, ut crederem illum prodere causam suam, & omnes dexteritatis, prudentiæ, & recti consilii, atque ipsius communis sensus regulas proculcare voluisse. Num mea hac vice me fefellerit opinio, judicabunt sapientes.

II.

II. Tempus jam est, ut te P. Nocetium alloquar. *P. Concina*, inquis, *ad conflandam invidiam Jesuitis, fingit se ab iis suae vitae timere. Quod etiam putido artificio finxit in quadam sua Praefatione Eusebius Eranistes. Sed hujusmodi simulationibus ita respondebit Turnus*. Sed antequam Turnus responsum praebeat, evincendum scelus est. Quodnam tu, mi Noceti, ut id probes, documentum allegas? Nullum omnino. Numquid Tribunal Probabilisticum id in more habet, ut crimina affingat, nulla adducta probatione? Absit. Cur ergo verba, quibus P. Concina invidiam conflat Jesuitis, in medium non produxisti? Dum serio hæc recogito, suspicio mentem subit, te id enarrasse, ut occasionem haberes, te eruditulum exhibendi in objiciendis Virgilianis versibus, quos forte, dum puerorum Magistrum agebas, memoriæ commendasti. Verum ineptam suspicionem exsufflat prudens consilium, quod nemo vir probus innocentum famæ detrimento velit suam ostentare eruditionem. Utcumque igitur res se habeat, tu, Noceti Pater me omne aliud opinantem, cogis, ut ab hac gravissima imputatione immunem esse demonstrem P. Concinam, teque minus providum in hoc refricando Socii tui vulnere. Ad rem accedamus.

III. P. *Jacobus Sanvitale* Socius tuus librum edidit inscriptum: *Raccolta di molte proposizioni estratte dall'Istoria del Probabilismo ec.* Ex hoc libro P. Concina in *Praef. primi tomi App. ad Theolog. Christian.* plura dicteria, convicia, & opprobria excerpit, quæ Socius ille tuus contra eumdem benignissime intorsit: deinde pag. 37. hoc pacto concludit.

EPIPHONEMA MEDITANDUM.

„ Refugit calamus ultra pergere. Quare epiphonema rescribo, quo P.
„ *Jacobus Sanvitale* narrationem (seu potius plaustrum conviciorum) con-
„ cludit, quodque attentiorem postulat meditationem. Hæc itaque scribit
„ pag. 114. *Ringrazii la propizia fortuna, che SIN ORA gli ha fatto godere una*
„ *immunità, da cui NIUN ALTRO, fuorchè esso di simile loquacita, è ito esen-*
„ *te SINO AD ORA.*

„ Austistin'? Nemo hucusque eorum, qui Theologiam accommodati-
„ tiam vellicarunt, immunis evasit. Omnes ne isti passi sunt exilia, pro-
„ scriptiones, carceres &c. Solum me *Fortuna propizia* incolumem serva-
„ vit *hactenus*. *SIN AD ORA*. Imposterum quid futurum erit, mi Pater?
„ Fortunæ ne propitiæ vitam meam fidam? Absit. Audias R. P. & tecum
„ auscultent omnes. Et hucusque ego dixi, & imposterum semper ca-
„ nam: *Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo? Dominus prote-*
„ *ctor vitæ meæ: a quo trepidabo? Psal. 26.* "

Confirmat P. Jacobus Sanvitale has suas minas contra P. Concinam alio in opusculo inscripto *Osservazioni rimarcabili ec.* Lucæ edito an. 1753. in quo p. 25.

 hæc

hæc scribit. *Leggo il testo di un gran Politico Cattolicissimo. Siccome è carità il non perdonare alla testa di un Omicida per salvar la vita di molti buoni*; *così è carità il non perdonare alla fama di un maledico per salvar l'onore di molti pii, e dotti*. Qui refellit, omni moderatione servata, laxas, erroneasque Casuistarum opiniones, maledicus non est: & huic non parcere contra Evangelicæ caritatis officium est; quidquid dicat Politicus non utique catholicus.

IV. Universam nunc Rempublicam litterariam, & temetipsum, P. Noceti, Judicem appello. Sententia proferatur, num P. Concina quidquam affinxerit, ut tu ais, Jesuitis? Quid, quod interpretari mitius rescripta Socii tui verba non poterat? Neque enim P. Concina vitæ suæ quidquam a Jesuitis se timere indicavit, ut tu eidem nimis aperte imponis, sed quæ imprudenter Socius tuus *P. Sanvitale* scripsit, meditanda lectoribus proponit, eaque contemnit, & in Domino unice spem suam collocat. Verum enim vero, ut exploratum tibi sit, quam modestissime, atque mitissime se P. Concina gesserit, argumenta audias attente velim, quibus confirmare homicidii comminationem a P. Sanvitale indictam potuisset. Nonne facile illi fuisset allegare plurium Probabilistarum doctrinam, qua confirmatur id, quod minatus est P. Sanvitale, nempe licitum esse calumniatoris (quo loco vos habetis Concinam) homicidium. Damnata utique doctrina est ab Apostolica Sede. Sed quam facile hujusmodi damnationes ope Probabilismi eludi possunt, ac sæpe solent?

V. Verum, ut te ad incitas ita redigam, mi Noceti, ut neque hiscere valeas, in medium adducere volo argumentationem Eusebii Eraniste, quam tu *putidum artificium* benignissime appellas. Tu mi Noceti cogis, ut evincam perdoctum, ingenuumque Eusebium Eranisten immunem ab hoc *putido artificio* esse. En illius argumentationem. Nonne aliqui Socii tui typis publicis vulgarunt *Libellum famosum* adversus P. Concinam tot calumniis, & maledictis plenum, ut ad ejusdem lectionem universa Italia perhorruerit? Nonne libellus iste damnatus ab Apostolica Sede, quorumdam Sociorum cura secundis typis Editus Lucæ fuit? Nonne publica, & repetita evulgatio damnati libelli ipso homicidio pejor est? Nonne qui facit majus, patrare minus potest? Libellum a nonnullis Sociis editum esse, & ab iisdem per universam Italiam distributum lippis, & tonsoribus notum est, & ipse *P. Sanvitale* in suo opusculo inscripto *Paradossi veri &c.* pag. 206. 207. & alibi id sponte fatetur his verbis. *Questa tempesta di maldicenza, che sempre più aumentava, fece perdere la pazienza ad alcuni pochi Gesuiti, e gli fece trascorrere in un fallo grave, il quale fu di tentare la stampa di alcuni libricciuoli senza la dovuta facoltà de' Superiori Ecclesiastici*. Tam ingenuam, & ultroneam confessionem numquam ego a Socio tuo expectassem.

VI. Hæc dicta sunt, quia tu singulari tua prudentia ad ea dicenda compulisti. Ceterum numquam P. Concina a Jesuitis quidquam mali vitæ suæ timuit.

timuit. Immo graviſſimo crimini ſibi vertiſſet P. Concina, vel id ſuſpicari de Jeſuitis, quorum probitatem ſemper ſuſpexit, prædicavitque, ut omnes quibuſcum loquutus eſt, teſtari valent. Quid ergo? Quid ? Quæ ſcripſerunt Socii tui hac de re, Concina reſcripſit, unaque deriſit, exſibilavitque. Quæ cum ita ſe habeant, quid te Noceti Pater impulit, ut tantum crimen affingeres P. Concinæ? Quiſnam genius tibi fucum fecit, ut, nulla neceſſitate, nulla occaſione urgente, hujuſce rei memineris? Cur eorum, quæ Socii tui publicis typis evulgarunt, inventorem Concinam facis? Cur eum calumniæ reum traducis, Virgilianis verſibus adductis? Ubi hoc in negotio æquitas? Ubi juſtitia? Ubi conſilium? Ubi prudentia? Ubi communis ſenſus? Supereſt ne tibi rima aliqua, unde evadere queas? Hæc ne forſitan tua conſueta agendi ratio: quo deſperatior eſt cauſa, quam propugnas, eo altius vociferari? An quoties quorumdam Caſuiſtarum tuorum paradoxa, & laxa commenta in germanum, verumque proſpectum adducta ſunt, & perſpicue expoſita, tum clamare: *Calumniam*, *impoſturam*, *truncatos textus*, *omiſſa quæ antecedunt*, *& quæ ſequuntur*? Amicabilius, & confidentius colloquamur. Quid eſt mi Noceti? Vos calumniæ, & impoſturæ, aliorumque criminum onere ipſam perſonam P. Concinæ obruitis, ut ex tuo libro Lucæ edito, inſcriptoque *Veritas vindicata*, ſeu verius deformata, & pluribus aliis patet. Contra, dum Concina Caſuiſtarum tuorum, quorum ſemper laudat piam intentionem, rectumque animum, opiniones, quæ illi videntur & falſæ, & laxæ, & æternæ Chriſtianorum ſaluti pernicioſæ, perſtringit, & cum opportunum fuerit, & vis argumentandi poſtulat, deridendas propinat, cælum terræ miſcetis, & ad arma conclamatis? Ubi pondus, & pondus? Ubi ſtatera, & ſtatera? Concina errores perſtringit, & convellere ſtudet: vos Concinæ perſonam inſectamini, ut ex libris veſtris conſtat. Vobis ne omnia licent, & aliis, quæ licita ſunt, per vos, vetita erunt? An dominari in clero vobis liberum erit? Quid ad hæc mi Noceti? Patet ne tibi effugium aliquod, unde evadas? ſupereſt ne aliquod perfugium, quo te recipias? Diſplicet ne tibi hæc argumentandi ratio? At tu te hoc intriſti, tibi omne eſt exedendum. Opportunius in te hoc Terentianum dictum quadrat, quam Virgiliani verſus in Concinam, immo injuria ſumma, & evidentiſſima illos eidem applicuiſti. Tu mi Noceti undique verſum quaſſatus ea ipſa refellenda arripis, quæ in caput tuum contorta, te pleniſſima confuſione obruunt. Reſponſum præbe, ſi potis es, ad Appendicem additam tomo 4. ſuarum Epiſtolarum ab Euſebio Eraniſte, qua præcipua capita tui libri inſcripti *Veritas vindicata* penitus profligat, tuamque ſinceritatem, & bonam fidem in diſcrimen manifeſtum adducit. Verum tua intereſt hæc omnia diſſimulare, quia neque diſtinctiunculis cavillatoriis vellicare eadem audes. Sed alteram argumenti partem diſpiciamus.

VII. P.

VII. *P. Concina magnam partem suæ Theologiæ desumpsit ex Auctoribus Transalpinis*. Quinam hi Auctores Transalpini? Alibi obtrusisti Henricum a S. Ignatio, Sinnichium, Paschalem. Sed hæc falsa commenta (non utar ego, sicut tu, verbis calumniæ, & imposturæ, quod id mihi non conveniat) supra convulsa, & penitus labefactata sunt. Rursus te urgeo, ut palam facias Auctores istos transalpinos, a quibus Concina magnam suæ Theologiæ partem hausit. Sed his prætermissis hoc te adorior dilemmate. Aut hæc magna Theologiæ Concinianæ pars falsa, & antievangelica est: aut vera, & evangelica? Si primum, cur hanc falsitatem antievangelicam hactenus non patefecisti? Cur eam non demonstrasti? Tu, & Socii tui nullum non movistis lapidem, ut Theologiæ Christianæ extremam conflaretis invidiam. Viginti circiter Socii per annum, & amplius severissima critice eam excussere, ut nodum in scirpo quærerent: & nihil objicere potuere, nisi opiniones laxas Casuistarum non esse sincere relatas, aut nimium profligatas. Huc zelus vester, huc conamina vestra tendunt, ut Casuistæ vestri sint falli nescii. Hoc si consistat, salva omnia sunt; sed rursus ego inclamo. Cur ex duodecim voluminibus neque unam (arrige aures) neque unicam propositionem aut æquo rigidiorem, aut æquo laxiorem opponere ausi estis? Numquid alto silentio tecta jacuisset, si inventa fuisset? Quid respondes? Sed ne hiscere quidem valeas, te exoro, obtestorque, atque etiam humillime provoco, ut vel unicam doctrinam falsam ex omnibus Concinianis operibus opponas, & tibi coram universo Christianismo spondeo; eam P. Concinam retractaturum fore. An te latet, quid P. Concina rescripserit in Præfat. ad tom. 9. pag. 28.? Audi. *Ea dumtaxat propono, quæ imbecillitati meæ vera videntur. Quamobrem rogo, obtestorque lectores, ne quidquam aut mihi deferant, aut sententiis meis fidem adhibeant, propter auctoritatem meam, quam nullius omnino momenti esse scio, & volo. Si quid lectores invenerint, quod Scripturis divinis, SS. Patribus, & Ecclesiæ doctrinæ, atque disciplinæ judicaverint consentaneum, amplectantur: si quid contra, prorsus rejiciant, atque proscribant*. Lege ibi plura.

VIII. Ad alteram dilemmatis partem quod attinet, si vera, si evangelica, aut Evangelio conformiora sunt, quæ P. Concina scripsit, quid refert, quod eadem Transalpini Theologi doceant? Finge P. Concinam esse purum, putumque exscriptorem, collectorem, infarcinatorem, & quidvis aliud, quod tibi, Sociisque tuis arrideat: si evangelica sunt quæ scribit, numquid rejicienda hæc, propterea quod etiam a Transalpinis illa doceantur? Numquid aliud Italorum, aliud Transalpinorum Evangelium est? Falsitatis arguere doctrinam P. Concinæ non audetis, & ideo, ut invidiam eidem confletis, illam a Transalpinis transcriptam esse evulgatis? Aut Transalpini isti in fide claudicant, aut sunt catholici? Si primum, hoc magis torquere te debet, mi Noceti, quod veritatem, quod saniorem doctri-

nam,

nam, vel ab ipsis heterodoxis propugnatam, respuas, & detesteris. Quoniam veritas a quocumque dicatur, a Spiritu Sancto est. Si Transalpini Theologi catholici sunt, & sanam doctrinam doceant, quid Concinam criminaris, quod eamdem veram, & sanam doctrinam defendat? Ut multa in pauca contraham, aut tibi demonstrandum est magnam Theologiæ Christianæ a P. Concina editæ partem esse falsam: & tunc tibi P. Concina victoriam canet. Aut confiteare necessum est, doctrinam esse veram, & tum injuste Concinam accusas, quod veritatem a Transalpinis transcripserit: quia evangelica lex veritatis lex est, quam omnes catholici docere astringuntur. Est ne aliquid medium, verum inter & falsum?

IX. Ultima tandem propositi argumenti pars sub examen veniat. *Et multo minus (erumpat tandem vera vox) volumus introducere in Italiam Rigorismum quorumdam Transalpinorum*. Revera, Noceti Pater, erupit tandem ex intimis præcordiis Reverentiæ tuæ sincera probabilistica vox. Quisnam, amabo te, *Rigorismus* iste Transalpinus, quem ab Italia exclusum vis? *Picchonicus* ne, an Beruyericus, an Stadlericus? Explica te clarius, ut tota libertate disputes. Quinam isti Transalpini Rigoristæ? Hæretici ne, an catholici? Si hæretici, omnes eosdem rejicimus. Si catholici, quinam isti? Numquid Merbesius, Gennetus, Natalis Alexander, Pontasius, Tornellius, & alii similes, qui laxas improbant plurium Casuistarum opiniones? Si perhorrescis *Rigorismum* istorum cum tuo Francolino, amas ne *Laxismum* Italiam depopulantem? An periculum imminet, ut Rigorismus sæviat in Italia? Si periculum non imminet, quid vociferaris contra *Rigorismi* spectrum, & obmutescis contra *Laxismum* Christi animas devorantem? Ad universæ Italiæ Tribunal te provoco. Omnes & viri, & senes testantur sub eorum oculis *Laxismum* increvisse, & funestissimam parere animarum stragem. Numquam, inquiunt, tam liberæ conversationes viros inter, & feminas: numquam luxus, pompæ, vanitates, quibus in professione baptismali renuntiarunt Christiani, latius vexillum explicarunt. Numquam tanta ludorum, qui familias evertunt, frequentia: numquam tanta otii, theatrorum, comœdiarum, chorearum pestis: numquam mollities tanta, numquam denique corruptior vivendi forma. Ex altera parte numquam tanta Sacramentorum frequentia, quin ulla appareat in plurimis morum reformatio. Ergo in Sacramentorum administratione *Laxismus* serpit, & triumphat. Consequentia hæc ineluctabilis est. Et cum hæc ita se habeant, audes inclamare: *Erumpat tandem vera vox: nolumus introducere in Italiam Rigorismum quorumdam Transalpinorum*? Abeat, tecum clamabo, abeat *Rigorismus* Transalpinorum, & in Italiam veniat *Rigorismus* Evangeliorum. Placet ne tibi Rigorismus iste? qui clamat: *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus*: Luc. 14. Et rursum cap. 13. *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, &*

re, *& non poterunt*. Idem inculcat S. Matthæus cap. 7. *Quam angusta porta*, *& arcta via est*, *quæ ducit ad vitam*, *& pauci sunt*, *qui inveniunt eam*! *Attendite a falsis Prophetis*. Intonat Paulus ad Gal. 5. *Qui autem sunt Christi*, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis*, *& concupiscentiis*. Erumpat ex corde tuo, mi Noceti, vera vox. Rigorismus iste, non Transalpinorum, sed Evangeliorum arridet ne tibi? Viri, & mulieres simul conversantes, convivantes, ludentes, & bibentes, quibus administrantur Sacramenta, crucifigunt ne carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis suis? Si affirmas, te deridendum præbes; si negas, cur Benignistæ iisdem Sacramenta administrant? Intelligas tandem velim Doctrinam evangelicam corrumpendam esse, non a *Rigoristis*, sed a *Benignistis*, ut omnes Scripturæ Sanctæ testantur. *Erit enim tempus* (inquit S. Paulus 2. ad Tim. 4.) *cum sanam doctrinam non sustinebunt*, *sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus*. Qui sunt, qui pruriunt auribus, qui indulgent desideriis humanis, & obsecundant, nisi blandiloqui, & benignistæ? Nam *Rigoristæ* perterrefaciunt, & magnatum multitudinem sibi non conciliant. Hæc meditare, & postea clama, si vales, contra Rigoristas, qui sanctum, non Transalpinorum, sed Evangeliorum rigorem deprædicant. Altius animo tuo impressum velim, ultimum ætatis nostræ malorum esse, quod rigor evangelicus carni, & sanguini summopere infestus, nova *Rigorismi transalpini* larva a nonnullis obtegatur, & dicatur malum bonum, & bonum malum. Et Christiani plurimi his *Laxismi* fucis præventi vitam perpetuo otio, & deliciis diffluentem cum Sacramentorum frequentia conjungunt. Dicito mi Noceti Pater: Confessarii Benignistæ præparant ne hos Christianos Recidivos, Consuetudinarios, seu pravis habitibus irretitos jejuniis, eleemosynis, precibus, aliisque laboriosis operibus ad absolutionem sacramentalem, ut Scripturæ, Patres, & Concilia, & maxime Tridentinum præscribunt? Tu vero hunc Evangelicum Rigorem vocas Rigorismum Transalpinorum? Dicas iterum. Confessarii Benignistæ vetant ne præfatis pœnitentibus, ne ludos, comædias, promiscuas conversationes, theatraque frequentent? Immo tu, ut exsibilandum propines librum P. Concinæ adversus Theatra in nota ad pag. 79. epist. 2. Dinellii, hæc scribis. *Præsertim cum liber de spectaculis maximam partem ab aliis exscriptus sit*. Falleris mi Noceti. Totus liber, nedum maxima pars, conflatus est ex Scripturis divinis, Patribus, Conciliis: & in confirmationem evangelicæ doctrinæ adduxit P. Concina testimonia Theologorum perinsignis Societatis tuæ.

X. Ad Lectoris solamen adjicere aliud tuum commentum lubet, quod scribis pag. 81. ad hæc Magistri Dinellii verba: *Quid ais*, *Noceti*? *Jesuitæ facti sunt Dominicanorum Discipuli*? *Nosti quæ sint leges*, *quas imponunt Dominicani Discipulis suis*: *in his*, *quæ pertinent ad divinam gratiam*, *sequendos esse*: *Augustinum*, *& Thomam Aquinatem*. Hactenus Dinel-

nellius. Tu vero in tuis anthitetis hæc subjicis. *Etiam nos in hac materia sequimur Augustinum, & Thomam, & contendimus Sanctos istos Doctores numquam sententiam vestram docuisse*. Peregregie more tuo. Vos ergo defenditis cum Augustino, & Thoma Prædestinationem gratuitam, quam dogma Ecclesiæ esse testatur præclarissimus Bellarminus tuus? Vos ergo improbatis Prædestinationem ex prævisione meritorum? Vos ergo impugnatis cum Augustino, & Thoma gratiam illam versatilem Molinianam, quæ suam efficacitatem accipit ab infirmitate libertatis humanæ? Si hæc vera sunt, rejicis ergo, & improbas tuum *P. Ludovicum Molinam*, qui basilice affirmare non dubitavit, S. Augustinum ignorasse proprium systema a semetipso invectum. Parentem novæ doctrinæ incognitæ Augustino, se luculentissime jactat P. Ludovicus Molina. Quomodo ergo tu, Molinianus cum sis, asserere non reformidas in conspectu Reipublicæ litterariæ, & vos sequi in hac materia Augustinum, & Thomam? Et ne fucum vel tuis clientibus facere audeas, en verba tui P. Ludovici Molinæ, qui in sua famosa concordia *quæst. 23. art. 4. & 5. memb. ultim. pag. 394. edit. Antuerp. an. 1595.* hæc scribit. „ Nos pro nostra tenuitate rationem totam conciliandi „ libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione, „ quam toto *art. 13. quæst. 14. & art. 6. quæst. 19. quæst. 22.* & tota hac quæ„ stione tradidimus, sequentibus principiis, ex quibus eam deduxi„ mus, quæque in variis locis tradidimus, inniti judicavimus. *Quæ si* „ *data, explicataque semper fuissent, forte neque Pelagiana* (N. B.) *hæ*„ *resis exorta, neque LUTHERANI tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent* „ *ausi negare, obtendentes cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione co*„ *hærere non posse: NEQUE EX AUGUSTINI OPINIONE, concertationibusque* „ *cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad PELAGIANOSQUE DEFE*„ *CISSENT: facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in episto*„ *lis Prosperi, & Hilarii fit mentio, fuissent exstinctæ, ut patet ex iis, in qui*„ *bus homines illos convenisse, & ab illis dissensisse eædem epistolæ testantur:* „ *concertationes denique inter catholicos fuissent compositæ.* “

XI. Neque existimes solum P. Ludovicum Molinam ignorantiæ notam impegisse Sanctissimo Parenti Augustino. Audi quæ scripsit alter Socius tuus *P. Adam* in libro Gallice scripto, cui titulus est: *Calvinus suis, & Augustini armis prostratus 1. p. cap. 6. pag. 614. & 615. cap. 7. pag. 626. cap. 8. pag. 634. 640. 642. & 681. Augustini scripta tenebris, & nubibus, obvoluta esse, ejusque doctrinam intricatam, cum nulla sit intricatior, quam quæ secum ipsa pugnat. Augustinum in delectu opinionum, & rationum, quibus eas fulcit, non ita felicem, quin intellectibus nostris integram relinquat facultatem dissentiendi, & oppositum ejus, quod ipse tuetur, propugnandi .... Noluisse Augustinum clare sensus suos explicare, neque illos ita feliciter explicasse, quin locus supersit dubitandi de ejus mente. In conflictu contra Pela-*

gianos Augustinum se se in excessus periculosos præcipitasse : cum excessu locutum esse in materia de gratia , & prædestinatione , omnino certum , quandoquidem ejus verba mollienda sunt, ne in errorem contrarium dilabamur, licitum mihi esse debere , ut quæram moderamen catholicum . Consilia Augustini, & aliorum Patrum sic rationabiliter mollio , ut vitando errorem Pelagii, non incidam in excessum Augustini. Dommodo non incidam in errorem Pelagii, quem Augustinus impugnat, licet mihi non sequi impetum verborum, quibus utitur ad illos impugnandos. Jesuitæ Lovanienses, ut constat ex censura *Vallisol. Inquis. die* 8. *Martii* 1650. dicere non reformidarunt: *Miseram fore Ecclesiam, si Augustini placitis obstricta maneret, eamque a tutela , & pædagogia Augustini esse vindicandam.* Minus audentius locutus non est Jesuita Logicus, de quo hæc narrat Joannis Rivius *lib.* 4. de vita S. Augustini *cap.* 10. §. 6. *Augustinum etiam Juliani Pelagiani argumentis non satisfecisse. Si triumphus Ecclesiæ* (videlicet supra Pelagianos) *niteretur posterioribus Augustini scriptis , immerito de eis illa triumphasset. Volentem sustinere partes Juliani non posse Augustini rationibus convinci.* Quid , quod non modo Augustinum , sed ipsum Sanctissimum Apostolum Paulum Scriptorem divinum , a quo suam hausit doctrinam S. Augustinus, carpere non reformidavit Jesuita Causinus *tom.* 3. *Curiæ Sanctæ max.* 6. cujus verbo latine reddo. *Non est cur S. PAULI ac S. Augustini verbis teneamur, qui aliquando omnia meræ Dei voluntati attribuere videntur, etiam absque ullo bonorum nostrorum operum intuitu. Hos enim duos magnos viros , quasi duo maria magna considerare necesse est, qui ingenii sui impetu in unum littus ita exundant , ut alterum pro aliquo tempore siccum relinquere velle videantur. Verum sicut Oceanus postquam in aliquam plagam effusius sparsus est, in limites sibi a Deo constitutos regreditur: sic istiusmodi viri postquam in rebelles veritatis impugnatores insiluerunt, ad tranquillam æqualitatem ædificationi fidelium accommodatam redeunt.* Si plura, mi Noceti, cupis lege Sapientissimum Cardinalem Norisium in vindiciis Augustinianis, ubi sequentes, inter multas, leges censuras latas a Jesuitis nonnullis in Augustinum, & Paulum. *Ingenii S. Pauli ardor satis fervebat, ut in ejusmodi expressiones, excessivas nempe, facile abriperetur.... Cum in epistola ad Romanos fidem extollit, arma Calvino videtur ministrare ad suam hæresim stabiliendam , & videtur asserere per eam solam quemlibet salvari. Cum vero in epistola ad Corinthios caritatem prædicat , videtur omnia quæcumque de fide dixerat , evertere, & omnem spem nostram in ea ponere.* Lege ibidem plurima , & interum in transversu pauca verba faciamus. Non pauci Socii tui ipsos Patres , præsertim S. Augustinum, immo ipsum S. Paulum divino afflatu scribentem vellicare non dubitarunt. Contra si quis Casuistarum tuorum Gobati, Moyæ, Tamburini , Burgaberi, Laymani , Escobarii , Lacroixii, Vivæ , & similium laxas opiniones, salvo etiam officio erga Auctores, refellit , & labefactat, utpote æternæ Christianorum saluti perniciosas, tum vos continuo

tinuo rumores seritis, turbas concitatis, supremas commovere potestates satagitis. Quid? Pluris ne apud te est Burgaber, quam S. Augustinus? Majori ne in pretio habes Tamburinum, quam S. Paulum? Absit a me ut vel de te, vel de quocumque Socio tuo id suspicer. Sed ad has argumentationes instituendas tu, & aliqui Socii tui urgent, & impellunt. Quandoquidem quæro. Cur injustissimas censuras a quibusdam Sociis tuis latas in SS. Augustinum, & Paulum alto præteri silentio, & contra justissimas censuras contortas, non in Casuistas tuos, sed in eorumdem noxias opiniones, vociferaris, irasceris, excandescis? Erumpat e corde tuo vera vox, & genuinum responsum præbe, quia ego redire in semitam volo.

XII. Non me latet, alios Socios, tuos, præcipue Doctorem eximium *Suarezium*, ut novtiatis maculam declinarent, pertentasse infelici conatu pertrahere in partes suas SS. Augustinum, & Thomam circa doctrinam de prædestinatione, & gratia. Sed te quoque non fugit, P. Granadum Socium tuum *P. 1. tract. 5. disp. 3. sect. 2.* P. Suarezium impugnare, propterea quod scientiam mediam S. Thomæ, veterumque Theologorum suffragio munire studuit, aitque: *Fateor nullum ex his testimoniis multum urgere:* tum paucis interjectis: *Nec mirum est, si temporis decursu aliquid NOVI a Theologis recentioribus excogitatum sit, præsertim si firmis nitatur fundamentis, ut nostram hanc niti persuadent multa, quæ subjiciemus.*

XIII. P. Henrice Jesuita *p. 1. tract. 1. dips. 7. cap. 7. & 8.* inquit: *Primores scientiæ mediæ Patroni e nostra Societate sunt. Hos inter Princeps Molina... Deinde Petrus a Fonseca.*

XIV. P. Tiphanius Jesuita *lib. de, ordine deque priori, & posteriori cap. 24.* distincte pronuntiat nullum alium Theologum ante Molinam, ne per somnium quidem de scientia media cogitasse, nec illam ullibi vel supposuisse, vel adhibuisse.

XV. P. Gabriel Vasquez celebris Jesuita, ipsoque Suarezio, ut ego quidem arbitror, acutior *1. p. disp. 64. cap. 4.* de scientia media loquens, ait: *Quod enim antiqui scholastici, qui hactenus scripserunt, tantum meminerit simplicis scientiæ visionis, & simplicis intelligentiæ, parum interest. Tum quia illi de hac scientia sub conditione nihil omnino disputarunt, aut meminerunt.... Quid igitur, si nos aliam ponamus, cujus ipsi mentionem non fecerunt, neque negarunt?*

XVI. Quid plura? Audi, mi Noceti, ipsum Ven. Cardinalem Bellarminum, qui *tom. 4. edit. Paris. an.* 1608. *pag.* 420. *Lugdunensis an.* 1593. *p.* 426. *tom. 3. & postremæ Venetæ an.* 1721. *tom. 4. pag.* 228. P. Ludovici Molinæ sententiam his verbis describit: *Prima opinio eorum est, qui gratiam efficacem constituunt in assensu, & cooperatione humana, ita ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum, & ideo sortitur effectum, QUIA voluntas humana cooperatur. Itaque existimant hi Auctores, in potestate*

hominis esse, ut gratiam faciat esse efficacem, quæ alioquin ex se non esset, nisi sufficiens. Hæc opinio ALIENA EST OMNINO A SENTENTIA B. AUGUSTINI, & quantum ego existimo, a sententia etiam divinarum Scripturarum. Idque luculentissimis argumentis evincit. Accusabis ne Bellarminum tuum, quod minus sincere exposuerit P. Molinæ doctrinam? Transmigraturus ne es a Castris Molinianis ad Castra Congruistarum? At quocumque palatim te recipias, in casses incidis, & a S. Augustino profugus abscedis. An ignoras librum an. 1586. curante celebri Generali Aquaviva editum, inscriptumque, *Ratio atque institutio studiorum*, in quo, *Regula quinta*, declaratur, liberum esse Sociis a doctrina S. Thomæ Aquinatis circa causarum secundarum præmotionem recedere?

XVII. Si tu, mi Noceti, in conspectu tot documentorum scribere ausus es: *& nos sequimur Augustinum, & Thomam*: an non audebis Solem in meridie lucere pernegare? Quid si tot Sociis tuis, & quidem magni nominis, qui tibi contradicunt, addam universi catholici Orbis Sapientes, qui *novitatis* arguerunt, & arguunt P. Molinam sponte confitentem se invexisse novum systema? Alii hoc novitatis vexillum retinuere, alii proventorum diversitate permutare e re sua esse existimarunt.

XVIII. Verum, ut ad perpetuum silentium te, mi Noceti, hac de re adigam, cedo. Quid hisce diebus de S. Augustino scripsit P. Nicolaus Ghezius Socius tuus? An suspectum hæreseos gratiæ necessitantis non traduxit hunc Sanctissimum Ecclesiæ Doctorem? An Augustino, ceterisque Patribus non prætulit in morum controversiis unum Summistam recentiorem, puta Busembaum? In aurem colloquamur. Putas, ne solum P. Ghezium esse harum sententiarum patronum? Saltem Revisores illius operis consentientes ille habuit. Retractavit utique, seu, ut vis, *declaravit* hæc, & plura alia. At sponte ne, & libere id peregit? An coacta retractatio animum, & sententiam mutet, tibi decidendum subjicio. Quid, quod vel in ipsa declaratione facultatem sibi reservare omnino voluit *n. V.* oppugnandi doctrinam S. Augustini, in omni controversia a S. Apostolica Sede non definita? Porro cum hæc ita se habeant, hoc tempore, his in circumstantiis scribere ausus es: *Etiam nos in hac materia sequimur Augustinum, & Thomam, & contendimus Sanctos istos Doctores numquam sententiam vestram docuisse?*

XIX. Quid ad hæc, Noceti Pater? Etiam vos sequimini in hac materia Augustinum, & Thomam? Alterutrum ergo præstetis necessum est. Aut ex Molinianis evadere Augustinianos. (Oh quam mirifica vicissitudo, si orbis catholicus audiret Molinianos Augustinianos factos!) Aut si Moliniani perseverare velitis, nuntium remittatis cum vestro P. Ludovico Molina SS. Augustino, & Thomæ oportet. Sed sub alio aspectu expendamus hæc tua verba. *Etiam nos in hac materia sequimur Augustinum, & Thomam, & con-*

contendimus Sanctos istos Doctores numquam sententiam vestram docuisse. Dum hæc scribebas, non meministi eorum, quæ prius evulgaveras. Quænam hæc? Audi verba tua. *Immo a Dominicanis Magistris JESUITÆ discipuli didicerunt*. Vides quibus te jugulas antilogiis? Quid antilogias obtrudis? In hac materia Jesuitæ non sunt Dominicanorum discipuli: sunt vero in aliis. Doctissime. Quoties ergo propugnanda est laxa morum doctrina, quæ ipsos populos commovet, tum Jesuitæ sunt Dominicanorum discipuli: ceterum in dogmatibus speculativis a communi cognitione abstractis, tum Jesuitæ sunt omnium Magistri. In materia de præscientia, de prædestinatione, de efficacitate divinæ gratiæ universa Ecclesia ante P. Ludovicum Molinam Augustini doctrinam non intellexit. Ipse P. Ludovicus Molina Scholæ suæ caput, & primipilus doctrinæ S. Augustini bellum indixit, quia inde ortam forte asserit semipelagianam hæresim, & Lutherani ex eadem doctrina ansam arripuere tam impudenter negandi arbitrii nostri libertatem. Qua itaque sinceritate, Molinianus cum sis, SS. Augustini, & Thomæ discipulum te jactas, si Magister tuus Molina Augustini, atque adeo Aquinatis doctrinam rejicit? Ad pag. 84. epist. Dinellii ais P. Concinam *aperta, obstinata fronte* negasse declarationem Amici. Tò *obstinata fronte* in Concina esset convicium, in te vero est *elogium*, non ne? Scribis ad pag. 74. *Gratias ago. Etiam hic dat manus victas*. Qua de re? Quod Concina in Lacroixio non adverterit unam *interpunctionem*, qua secernitur Taberna a Busembau. O dignum te, dignumque Theologia tua triumphum! Hæ sunt nugæ, quas opponitis, quasque ad pag. 85. immotas jactas, & gloriaris. Similes triumphos tibi libenter concedimus, & interim in omni alicujus momenti facto tui penitus prostrati commiseramur. Finem epistolæ impono, quia abuti otio nolo in aliis tuis notis convellendis. Unum mihi credas velim, Noceti Pater. Amici tui etiam intimiores, dum hæc tua paradoxa legunt, rident, obstupescunt, & ex iis, quæ rescripsi, inferunt, cetera tua adversus Concinam scripta, esse ejusdem surfuris. Mihi satis sit verba S. Augustini reponere: *Mira sunt, quæ dicitis, nova sunt, quæ dicitis: falsa sunt, quæ dicitis. Mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus*. Fac ut valeas.

F I N I S.

NOT

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di revisione ed approvazione del P. F. Giovanni Paolo Zapparella Commissario del S. Officio di Venezia, nel libro intitolato: *Ad R. P. Carolum Nocetium Epistolæ octo de singularibus argumentis &c. MS*, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Principi', e buoni costumi: concediamo licenza a *Simone Occhi Stampatore di Venezia*, che possi esser stampato; osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 17. *Gennaro* 1754. *M. V.*

(
(Daniel Bragadin Kav. Proc. Rifor.
(Marco Foscarini Kav. Proc. Rifor.

Registrato in Libro a carte 68. *al num.* 402.

Giacomo Zuccato Segret.

ERRATA			CORRIGE
Pag. 16	l. *ult.*	lit.	lib.
27	3	eris ab	eris
28	14	incredili	incredibili
52	14	ordini, quem	ordini, qui
85	5	abſaluta	abſoluta
95	11	Relata	Relatæ
105	9	vendidiſſere	vendidiſſe
107	35	in eos	in os
	38	ſunt iſte	ſunt iſtæ
121	5	qua contra	quam contra
128	8	damnum	demum
131	13	violatores	violaturos
152	18	Alexandro VIII.	Alexandro VII.
155	48	regidi	redigi
157	31	au- hic habebo	autem hic habeo
160	36	ſit æque	ſint æque
163	31	extremum	externum
172	26	parvitatem	parvitate
176	29	morale	mortale
177	1	pactice	practice
184	20	Tom. 6	Tom. 5
190	25	habites	habitibus.



